ΑΝΘΟΛΟΓΙΆ

Seu

SELECTA QUÆDAM

POEMATA
ITALORUM

Qui Latine ſcripſerunt.

Dignos laude viros Muſa vetat mori. Hor.



LONDINI:

Impenſis *R. Green,* & *F. Hicks,* Bibliopolarum
Cantabrigiæ. 1684.

Benevolo Lectori.

LIbellus hic, qui tibi in manus offertur, erudite Lector, eorum præcipuè Poetarum præ se fert nomina; qui ingenii famâ inter Italos, populares suos commendatissimi, apud exteras itidem Nationes etiamnum inclarescunt. Comparatis siquidem, quot per amicos poteram, industriæ subsidiis; id mihi unicè erat propositum breviori spatio concludere, quæ publici juris facturus eram; nec eorum errore duci, qui temerè & infeliciter operam collocantes, ut copiam modo sequantur, delectui minus student. Atq; ableganti adeò quæ sordida; recidenti quæ superflua; rejicienti quæ invenusta, ea demum placuit solummodo excerpere; quæ, absq; tædio solicitæ disquisitionis, in usum & delicias forent Lectori, suaviter ingenioso. Methodo autem & ordine eo uti visum est; ut totum hoc, quodcunq; est opusculi, in quatuor partes divisum, commodè absolvi posset. Prima pars Eclogas complectitur; Secunda est didascalικῶν; Tertia Odas continet; in ultimâ traduntur Poemata varii argumenti, quibus Sylvarum nomen indidimus.

A Sannazario incipimus; cui parem, apud Italos, in bucolicis; aut proximè subsequentem in-

in-

invenire qui velit, frustra est. Nam adeò candidus, tener, simplex, venustus est; ut nihil supra: Et dignus sanè, si quis unquam, quem effusè adeò laudet Rapinus; quem Scaliger, in carmine pastorali, ferè post Virgilium unicè legendum censeat. Baptistæ Amalthei Eclogas Alconem & Lycidam, superioribus duas adjunxi; quæ licet minus perfectæ; venustæ tamen, & puræ sunt, & molliter fluunt. Cæteri aut deliciarum sectatores, urbanitatem nimis exquisitè affectant; aut, quod plerumq; contingit intemperantiùs sibi indulgentibus, pueriliter ineptiunt; & tractu excurrunt fusiori, quam ferat Eclogæ tenuitas & deducti carminis ratio. Quum igitur nec septem Eclogæ sufficerent ad libri complementum; nec suppeterent, de Italis, cum simplicitate satis elegantes; quæ reliquis in societatem adsciscerentur; aliundè quatuor accersere placuit, Buchanani scilicetduas; Grotii, & Heinsij, utriusq; singulas, sanè incomparabiles. Pastoritiæ quorum utique compositiones, apud omnes perelegantis ingenii viros, summam laudem adeptæ sunt; molle illud & facetum, quod Virgilio Flaccus tribuit, tam mirificè ad vivum exprimendo.

In didascalicis occurrit primò Hieronymi Fracastorii Syphilis, sive Poema de morbo Gallico, scriptum ad Petrum Bembum Cardinalem: Cujus viri, longè eruditissimi, tantus emicuit splendor; ut eum non dubitet Scaliger, aliis,

ævi tam prioris, quam sui, omnibus anteferre; proximumq; divino suo Virgilio locare. Qui plus de Fracastorio scire velit, Scaligerum adeat in Hypercritico; quem licet summi Poetæ donet nomine, in nonnullis eum locis arguit, pro more suo, liberaliter. Hoc liberè affirmare possim; & castitate sermonis, & rerum ἑρμηνείᾳ & conquisitis appositè ad ornamenta fabulis, & versuum ad exprimendos affectus efficaciâ; Hactenus ei Italorum, quot scio, neotericos in universum principatu cessisse. Verum omnia hæc, superiùs recensita, ex iteratis denuò, per intervalla, lectionibus, facilius percipi, quam exprimi possunt. Marci Hieronymi Vidæ de bombycibus libri duo claudunt partem secundam. In quibus pauca sunt, quæ desideres; quod rejicias, nihil. Est enim in præceptis valdè accuratus (non ita tamen ut infra Poetæ dignitatem subsidat) & puritatis in Latinâ dictione retinentissimus. Certè in compositione Scacchiæ, quæ in Sylvis habetur, ingenium viri maximè elucet. Nusquam enim venâ fluit castigatiore, propiusq; ad Virgilij majestatem accedente: Numeri pleni, & rotundi; elatiores figuræ; & ubiq; translationum audaciâ feliciter insurgit oratio.

Supersunt reliquæ duæ partes; Odarum altera, & altera illa Sylvarum: de quibus aliqua, prout in utrisq; iidem se exhibent authores, dicenda sunt conjunctim. Nam labor esset nimius, & legenti forsan ingratus, sigillatim omnia & minutè prosequi.

ſequi. Quod ad Odas Flaminii attinet, quarum hîc benè multas habemus, nihil eſſe poteſt, ut opinor, ſuavius; quod imprimis ii judicent, qui ſapiunt Latinè. Catulli enim, ut mihi videtur, non tam imitator, quam æmulus propè dici meruit. Ingenii nitor & venuſtas, ſtylus candidus, numeri Catullianis minus horriduli, & cum ſuavitate ubiq; mira facilitas, ſunt præcipuæ ejus virtutes; quæ & animum illecebris permulcent, & aurium judicio ſatisfaciunt. Ex iis, quæ ad neceſſarios ſcripſit, indolem viri perblandam, feſtivam, hilarem facilè agnoſcas. Amores, Catulli, mollitie, verecundiâ ſuâ, luſit. Sannazarius præter Eclogas, & Lyricis dedit operam, & tentavit Elegos, ſucceſſu haud mediocri. In elegiâ, quæ ad amicam inſcribitur; luculentus, mollis, terſus, tenerrimorum affectuum pleniſſimus, Ovidii certè Veneres, & Tibulli cultum expreſſit. Idem Epigramma nitidum, de admirabili urbe Venetiis, ſex verſibus concluſit. Et ſunt qui eum ferunt à Senatu Veneto ſexcentos aureos (pro verſibus ſingulis centenos) honorarii muneris ergô tuliſſe. Pontani quum laudaveris ingenium, negligentiam reprehendas; ea autem præcipuè ſelegi, in quibus ſibi maximè temperavit, & modum tenuit. Naugerius Patricius Venetus ad Catulli imitationem totum ſe contulit; cujus virtutes in nonnullis aſſecutus eſt. Augurelli, Archij, & Criniti Odæ tueantur ſe legentis judicio, prout ſingulæ occurrunt. Areoſto ingenii

genii amœnitas gratiam conciliat. Strozzæ, pater & filius, poetæ minimè vulgares: Patre melior filius, ut Scaligero visum est. Cardinalis Bembus non solus excellentium virorum fautor; sed & ipse, in re poeticâ, inter cæteros multùm excelluit. Elegi ipsius duo, quos hîc habes, sunt purè, venustè, & amatoriè scripti. Jani itidem Hetrusci duo sunt consimili virtute spectabiles. In eo minimè ferendus, quod interdum Poeta sit lascivior, quam verecundo ori conveniat. Ipsius igitur luxuriem & petulantiam compescui; versibus aliquot è medio sublatis, qui turpitudinis notam præferrent. Quoad reliquos; molles illi quidem, & delicati; sed nihil tam pingue spirantes, quod aures, ut opinor, castissimæ cum fastidio respuant. Cæterùm utcunq; se res habet apud severos æstimatores, Italorum ferè nullum paulò humaniorem, & insignioris notæ Poetam reperias; cui non solenne sit Veneri, ut aiunt, litare, & in eroticis aliquantùm exerceri. Hendecasyllabæ Cottæ ad Lycorin, & Gerardi Vaxis ad Lesbiam, ita se in sensus intimos cum voluptate insinuant; ut nihil desideretur amplius ad perfectionem istius carminis, quod natum ad delicias videtur. Sunt & Fascitello suæ virtutes; sunt & suæ Parlistaneo; quibus uterq; eorum apud ingenuas gratiam inire possunt. Sed ad majora transeundum est. Sadoleto Curtius suus eximii Poetæ nomen attulit; quod res in sublimi positas, illustri stilo, & numerorum rotunditate ex-

exæquans, nec de calore quid interdum remiserit; nec in tumorem excreverit. In verborum porrò luminibus, & sententiarum acrimoniâ frequens; pulchrum & concinnum opus ad finem usq; perduxit. Politianus eo successu, quo vix alter quisquam eruditorum, humaniores literas excoluit: In solutâ autem oratione, quam ligatâ, longè fœlicior. Ingenio ad omnia ferebatur vivido vegetoq;. Effusus tamen, & exultans, & Lucano quam Maroni similior, sententiarum ubiq; pompam studiosè conquisivit; quas tractu numerorum plus æquo excurrentium productas aculeatis, ut plurimùm, finibus concludere voluit. Quod consilium rebus in medio dicendi genere positis, prout Rusticum ejus oportuit fuisse, haud ita bellè conveniet. At multa in eo venustè dicta reperias, & digna quantivis pretii; quæ si Criticorum examini subjiciantur, in plerisq; se præbeant æstimanda. Per dimetros autem Iambos, in laudes puellæ suæ fusos, præcipitat se liber ille spiritus, & solutè spatiatur; ferente non solum, sed & poscente id carminis incitati genio. Fracastorius præreptos sibi filios immaturâ morte conquestus; orbitatis dolorem testatur, ut pium parentem decet, & Poetam optimum. Jam verò, ut aliquando desinere incipiam, de duobus excellentis ingenii viris, Castilioneum intelligo, & Hieronymum Amaltheum; quædam in præsentiâ dicenda sunt. Hujus Epigrammata (tria autem apposui) tersa, culta, lepida, argutè &

strictim

ſtrictim concluduntur. Ode ad Maximilianum Horatianis numeris ſcripta ferè ipſam antiquitatem provocat. Cujus ut materia illuſtris; ita ipſa excelſo ſpiritu provehitur, & nervis ſe magnificè ſuſtentat: Ecbaſi deinde factâ ad Orphei mentionem, tenerrimo numerorum vocumq; flexu afficitur; animumq; lenioribus permulcet, ut prius gravioribus extulerat, æquè in utriſq; fœliciter. Balthaſaris Caſtilionei Cleopatra, quæ hic ultimò habetur, magnum & illuſtre teſtimonium à Scaligero meruit: Dignum certè opuſculum, quod ob incredibilem ſuavitatis gratiam, à politis omnibus in æterno honore habeatur.

At nimis fortaſſe in eorum judicio morati ſumus. Tu mihi denuò officioſè compellandus es, amice Lector, & exorandus; ut perbenignè ac humaniter excipias, quæ dudum ex uſu publico procurare cœperam. Singula percurras, excutias, evolvas; nec vilia, nec in triviis nata reperies. Quin eorum pleraq;, ſuffragiis doctiorum comprobata, in univerſum placuerunt; atq; etiam valdè placebunt.

ſtrictim concluduntur. Ode ad Maximilianum Hunniadis numeris ſcripta ſere ipſam antiquitatem provocat. Cujus ut materia illuſtris; ita ipſa [illegible] procedit, & [illegible] magnifice [illegible]. [illegible] deinde ſunt Orphei [illegible], tenerrimo numerorum cantu [illegible] afficitur; animumq; lenioribus permulcet, ut prius gravioribus extulerat, atque in utroq; feliciter. Balthaſaris Caſtilionei Cleopatra, quae hic ultimo habetur, magnum & [illegible] a Sadoleto meruit: [illegible], quod eo [illegible] gratum, & pollere omnibus in æterno honore habetur.

At quinis fortaſſe in eorum judicio morari ſtrictis. Tu mihi denuo officioſe compellandus es, amice Lector, & exorandus; ut [illegible] [illegible] excutias, evolvas; nec villa, nec in [illegible]. Cum eorum plerumq; [illegible] doctiorum comprobata, in univerſum placuerunt; atq; etiam valde [illegible].

SELECTA POEMATA
ITALORUM.
PARS I.
ACTII SYNCERI SANNAZARII, Ecloga I.
PHYLLIS.

Lycidas. Mycon.


Irabar, vicina, Mycon, per littora nuper
Dum vagor, expectoque leves ad pabula thynnos,
Quid tantum insuetus streperet mihi corvus, & udæ
Per scopulos passim fulicæ, perq; antra reposta
Tristia flebilibus complerent saxa querelis:
Cùm jam nec curvus resiliret ab æquore delphin,
Nec solitos de more choros induceret undis.
Ecce dies aderat, charam quâ Phyllida terræ
Condidimus, tumuloque pias deflevimus umbras
Ah! miseri: & posthac nec tristes linquimus auras,
Nec dubitat sævus solatia ferre Pylemon?
MY. Scilicet id fuerat, totâ quod nocte vaganti
Huc, illuc, dum Pausilypi latus omne pererro,
Piscosamque lego celeri Nesida phaselo;
Nescio quid querulî gemerent lacrymabile mergi.
Phyllis ad inferias, Phyllis (si credimus) illos
Ad gemitum, ô Lycida, tumulique ad sacra vocabat.

 LY. Eheu!

LY. Eheu! chare *Mycon*, qualis ſpectacula pompæ
(Nunc recolo) quas ipſe manus, quæve ora notavi
His oculis; his, inquam, oculis quæ funera vidi
Infelix? nec me tandem dolor improbus egit
In ſcopulos, in ſaxa, rogove abſumpſit eodem
Ignea vis, vel ſaltem aliquis Deus æquore merſit.
MY. O Lycida, Lycida; nonne hoc felicius illi
Eveniſſe putas, quam ſi fumoſa Lycotæ
Antra, vel hirſuti tegetem ſubiiſſet Amyntæ?
Et nunc heu! viles hamo ſibi quæreret eſcas;
Aut tenui laceras ſarciret rimine naſſas.
Sed tu, ſiquid habes, veteres quod lugeat ignes.
Quod manes, cinereſque diù teſtetur amatos;
Incipe; quandoquidem molles tibi littus arenas
Sternit, & inſani poſuerunt murmura fluctus.
LY. Immo hæc quæ cineri nuper properata parabam
Carmina, ab extremo cum jam cava littora portu
Proſpicerem, & nivei venerarer ſaxa ſepulcri;
Incipiam, tu coniferas ad buſta cupreſſus
Sparge manu, & viridi tumulum ſuperintege myrto.
MY. En tibi cærulei muſcum æquoris, en tibi conchas
Purpureas, nec non toto quæſita profundo,
Et vix ex imis evulſa corallia ſaxis
Adferimus; tu ſolennes nunc incipe cantus:
Incipe, dum ad ſolem Bajanus retia Mylcon
Explicat, & madidos componit in orbe rudentes.
LY. Quos mihi nunc Divæ ſcopulos, quæ panditis antra
Nereïdes! quas tu ſecreti littoris herbas
Glauce pater, quæ monſtriferis mihi gramina ſuccis
Oſtendes nunc Glauce! quibus tellure relictâ,
Ah! miſer, & liquidi factus novus incola ponti,
Te ſequar in medios mutato corpore fluctus,
Et feriam bifidâ ſpumantia marmora caudâ.
Nam quid ego (heu) ſolis vitam ſine Phyllide terris
Exoptem miſer? aut quidnam raptâ mihi luce
Dulce putem? quidve hic ſperem? quid jam moror ultrà

Infelix? an ut hâc vili projectus in algâ,
Arentes tantum frutices, desertaque cernam
Littora, & ingrato jactem mea verba sepulcro?
Scilicet hos thalamos, hos felices hymenæos
Concelebrem? sic sperata mihi gaudia tedæ
Dat Venus? ambiguos sic dat Lucina timores?
Quis mihi, quis te te, rapuit, dulcissima Phylli,
Philli meæ quondam requies, spesque unica vitæ,
Nunc dolor, æternusque imo sub pectore luctus?
Non licuit tecum optatos conjungere somnos,
Dulcia nec primæ decerpere dona juventæ,
Aut simul extremos vitam producere in annos?
Nunc te (quis credat) lapis hic habet, & mihi nusquam es,
Nusquam terrarum Phyllis: sed fabula, & umbræ
Frustrantur miseras, per dira insomnia, noctes.
Me miserum! quâ te tandem regione requiram?
Quâ re sequar? per te quondam mihi terra placebat,
Et populi, lætæque suis cum mœnibus urbes:
Nunc juvat immensi fines lustrare profundi;
Perque procellosas errare licentius undas
Tritonum immistum turbis, scopulosaque lete
Inter, & informes horrenti corpore Phocas;
Quo nunquam terras videam: jam jam illa tot annis
Culta mihi tellus, populique, urbesque, valete;
Littora chara valete; vale simul optima Phylli.
Nos tibi, nos liquidis septem pro fluctibus aras
Ponemus; septemque tibi de more quotannis,
Monstra maris magni, vitulos mactabimus hirtos:
Et tibi septenis pendebunt ostrea sertis,
Ostrea muricibus variata, albisque lapillis:
Hic tibi Nisæe, & flavos resoluta capillos
Cymodoce, mitisque piâ cum matre Palæmon,
Et Panope, & Siculi custos Galatea profundi
Solennes nectent choreas, & carmina dicent
Quæ Proteus quondam divino pectore vates
Edocuit, magni cum funera fleret Achillis,

Et Thetidis luctus consolaretur amaros.
At tu sive altum felix colis æthera, seu jam
Elysios inter manes, cœtusque verendos.
Lethæos sequeris, per stagna liquentia, pisces;
Seu legis æternos formoso, pollice flores,
Narcissumque crocumque, & vivaces amaranthos,
Et violis teneras misces pallentibus algas;
Adspice nos, mitisque veni; tu Numen aquarum
Semper eris, semper lætum piscantibus omen.
Ut Nymphis, Nereoque, ut flavicomæ Amphitrite,
Sic tibi, victrices fundent libamina cymbæ.
Interea tumulo supremum hoc accipe carmen;
Carmen, quod tenui dum nectit arundine linum,
Piscator legat; & scopulo suspiret ab alto.
In gremio Phyllis recubat Sirenis amatæ,
Consurgis gemino felix Sebethe sepulcro,
MY. Dulce sonant, Lycida, tua carmina: nec mihi malim
Halcyonum lamenta, aut udo in gramine ripæ
Propter aquam dulces cygnorum audire querelas.
Sed tu (sic faciles vicina Megeria semper
Sufficiat conchas; sic proxima Mergilline
Ostrea, saxosæque ferat tibi rupis echinos:
Quandoquidem nox obscuras jam distulit umbras,
Nec dum permensus cœlum Sol) incipe rursus,
Atque itera mihi carmen: habent iterata leporem.
LY. Ne miserum ne coge Mycon: sat lumina, sat jam
Exhaustæ maduere genæ: dolor (adspice) siccas
Obduxit fauces; quatit & singultibus imum
Pectus; anhelantemque animam vox ægra reliquit.
Et tamen, hæc aliàs tibi nos, & plura canemus,
Fortasse & meliora, aderit si Musa canenti.
Quin & veliferis olim hæc spectanda carins
Seu Prochytæ, seu Miseni sub rupe patenti
Inscribam, grandesque notas ferrugine ducam:
Præteriens quas nauta mari percurrat ab alto,
Et dicat: Lycidas Lycidas hæc carmina fecit,

Sed quoniam socii passim per littus ovantes
Expectant, poscuntque tuas ad retia vires:
Eja age, jam surgamus; ego hæc ad busta sedebo:
Tu socios invise: escas nam quærere tempus;
Et tibi nunc vacuæ fluitant sine pondere nassæ.

ECLOGA II.

Galatea.

FOrte Lycon vacuo fessus consederat antro
Piscator, quà se scopuli de vertice lato
Ostentat Pelago pulcherrima Mergilline.
Dumque alij notosque sinus, piscosaque circum
Æquora collustrant flammis, aut linea longè
Retia, captivosque trahunt ad littora Pisces:
Ipse per obscuram meditatur carmina noctem.
Immitis Galatea: nihil Te munera tandem,
Nil nostræ movere preces? verba irrita ventis
Fundimus? & vanas scopulis impegimus undas?
Adspice, cuncta silent: Orcas, & maxima Cete
Somnus habet: tacitæ recubant per littora Phocæ.
Non Zephyri strepit aura: sopor suus humida mulcet
Æquora: sopito connivent sydera cœlo.
Solus ego (hei misero!) dum tristi pectore questus
Nocte itero, somnum totâ de mente fugavi,
Nec tamen ulla meæ tangit te cura salutis.
At non Praxinoë me quondam, non Polybotæ
Filia despexit, non divitis Uxor Amyntæ
Quamvis culta sinu, quamvis foret alba papillis.
Quin etiam Ænariâ (si quicquam credis) ab altâ
Sæpè vocor: solet ipsa meas laudare Camœnas
In primis formosa Hyale: cui sanguis Iberis
Clarus avis: cui tot terræ, tot littora parent:
Quæque vel in medijs Neptunum torreat undis:
Sed mihi quid prosunt hæc omnia, si tibi tantùm
(Quis credat Galatea?) tibi si denique tantùm

Displiceo? si tu nostram crudelis avenam
Sola fugis? sola & nostros contemnis amores?
Ostrea Miseni pendentibus eruta saxis
Mille tibi misi: totidem sub gurgite vasto
Pausilypus, totidem vitreis Euplæa sub undis
Servat adhuc plures, Nesis, mihi servat echinos,
Quos nec vere novo folijs lentiscus amaris
Inficit, aut vacuæ tenuant dispendia Lunæ.
Prætereà mihi sub Pelago manus apta legendis
Muricibus, didicit Tyrios cognoscere succos:
Quoque modo plenâ durent conchylia testâ.
Quid refugis? tingenda tibi jam lana paratur,
Quâ niteas, superesque alias Galatea puellas:
Lana maris spumis quæ mollior; hanc mihi pastor
Ipse olim, dedit hanc pastor Melisæus ab altâ,
Cum me forte senex audisset rupe canentem:
Et dixit, puer istæ tua sint præmia Musæ,
Quandoquidem nostrâ cecinisti primus in actâ.
Ex illo in calathis servavi, ut mittere possem.
Sed tu (nequa mihi superet spes, nequa futuri
Conditio Galatea) manum mihi dura negâsti.
Hoc est, hoc, miserum quod perdidit, iste Camænæ
Iste procul, sprevit nostras Galatea querelas.
Scilicet exiguæ videor quod navita cymba,
Quodque leves hamos, nodosaque retia tracto,
Despicis: an patrio non hoc quoque littore Glaucus
Fecerat? æquoreæ Glaucus scrutator arenæ?
Et nunc ille quidem tumidarum numen aquarum,
Sed nec, quæ nimium vel me sic falsa fatigat,
Fabula te moveat Lydæ: licet illa puellis
Jactet, nescio quos mihi se misisse corollas:
Non me Lyda tamen non impulit, æquora testor,
Nereïdasque omnes, si fallo, naufragus illas
Experiar, salsosque bibam sub gurgite fluctus.
Heu quid agam? externas trans Pontum quærere terras
Jampridem est animus: quo nunquam navita, nunquam
Pis-

Piscator veniat: fors illic nostra licebit
Fata queri. Boreæ extremo damnata sub axe
Stagna petam, & rigidis nunquam non cana Pruinis?
An Libyæ rapidas, Austrique tepentis arenas,
Et videam nigros populos, solemque propinquum?
Quid loquor infelix? an non per saxa, per ignes,
Quo me cunque pedes ducent, mens ægra sequetur,
Vitantur venti: pluviæ vitantur, & æstus:
Non vitatur amor; mecum tumuletur oportet.
Jam saxo me me ex illo demittere in undas
Præcipitem jubet ipse furor: Vos ô mihi Nymphæ,
Vos maris undisoni Nymphæ præstate cadenti
Non duros obitus sævasque extinguite flammas.
Scilicet hæc olim, veniens seu littore curvo
Cajetæ, seu Cumarum navalibus altis,
Dum loca transibit, raucus de puppe Magister
Hortatus socios, dextrum deflectite, dicet,
In latus ô socii: dextras deflectite in undas:
Vitemus scopulos infames morte Lyconis.
Talia nequicquam surdas jactabat ad auras
Infelix piscator, & irrita vota fovebat:
Cùm tandem extremo veniens effulsit ab ortu
Lucifer, & roseo perfundit lumine pontum.

ECLOGA III.

MOPSUS.

Celadon. Mopsus. Chromis. Iolas.

DIc mihi (nam Baulis verum si retulit Ægon
Bis senos vos, Mopse, dies tenuere procellæ)
Quid tu, quid Chromis intereà, quid vester Iolas?
Dum Notus insultat pelago, dum murmurat unda,
Ecquid desertis vacui lusistis in antris?
MOP. Quid nostræ facerent ingrata per otia Musæ
O Celadon? neque tum conchas impunè licecat
Per scopulos, non octipedes tentare paguros,
Jam fragilem in sicco munibant saxa phaselum;

Rara-

Raraque per longos pendebant retia remos:
Ante pedes cistæque leves, hamique jacebant,
Et calami, nassæque & viminei labyrinthi.
Tum Chromis Inarimen spectans, his, inquit, ab oris
(Ah dirum exilium) nostræ solvere carinæ:
Cum regem post bella suum comitata juventus
Ignotis pelagi vitam committeret undis.
Quæ tamen (ut fama est) Ligurum per saxa, per altas
Stechadas, emicuit: Rhodanique invecta per amnem
(Nam benè si memini, Rhodanum referebat Amilcon)
Oceani madidas vidit refluentis arenas,
Et quæ cæruleos procul aspicit ora Britannos;
Quà (nisi vana ferunt) quoties maris unda resedit,
Indigenæ captant nudos per littora pisces.
Ne Chromi, ne luctus renova, respondet Iolas:
Sat tuus hæc nobis Lucrini nuper ad undam
Narravit Lycabas: solem se scilicet illic
Trans fluctus, trans & nubes vidisse cadentem;
Haud aliter, quàm si nostris è montibus illum
Cajetæ adspiceret longè post littora ferri;
Et strepitum sensisse ruentis ab æthere currûs.
Præterea mores populorum, urbesque, locosque
Exposüit; quernasque domos, & lignea tecta:
Addidit & varias (heu barbara nomina) gentes;
Bellovacos, Morinosque; & quos quis dicere possit?
Tarbellos: latis errare & flumina campis:
Nescio quem Ligerim tectis se innâsse carinis.
Sed mea nunc aliæ poscunt sibi pectora curæ.
Tu modò siquid habes (& te quoque Chloridis ardor,
Excruciat) scopulo hoc mecum meditare vicissim:
Audiet, & gracilem percurret Mopsus avenam.
Sic illi: ast ego nil contrà, sed quæ mihi collo
Garrula pendebat, manibus tunc sumpta cicuta est.
Scilicet alternos conabar arundine versus
Excipere, alternis nam dicere uterque parabat.
Nec mora, jam Chromis hos, hos & referebat Iolas.

CHR. Ne-

CHR. Nereides pelagi sacrum genus, aut mihi vestris
Munera ferte vadis, duram queis Chlorida placem:
Aut, si muneribus flecti nequit, æquore toto
Quærite, quæ nostrum sanet medicina furorem.
IOL. Sirenes, mea cura, audite hæc ultima vota:
Aut revocet jam Nisa suum, nec spernat Iolam;
Aut videat morientem: hæc saxa impulsa marinis
Fluctibus, hæc misero vilis dabit alga sepulcrum.
CHR. Qualis tranquillo quæ labitur æquore cymba,
Cum Zephyris summæ crispantur leniter undæ,
Tuta volat; luditque hilaris per transtra juventus:
Talis vita mihi, mea dum me Chloris amabat.
IOL. Adspicis, iratæ feriant ut saxa procellæ?
Ut validis imæ Coris turbentur arenæ?
Jam scopulis furit unda; tremit jam terra tumultu:
Fallor, an hæc ipsa est Nisæ indignantis imago?
CHR. O Proteu, pastor liquidi maris, ô pater, ô rex,
(Quandoquidem insanos odistis numina fastus)
Quære Pithecutas tu, cui licet, atque superbæ
Dic Hyalæ, falsum te pascere monstra per æquor.
IOL. Ille habet, ille meos scopulus mihi servat amores,
Qui propior terræ est: illum pete Glauce natatu:
Neve manus duri contemnat Nisa mariti,
Dic se squamigeras traxisse ad littora prædas.
CHR. Est veneri Cypros gratissima; Creta Tonanti;
Junonique Samos; Vulcano maxima Lemnos:
Ænariæ portus Hyale dum pulchra tenebit;
Nec Samos Ænariam vincet, nec maxima Lemnos.
IOL. Gradivus Rhodopen; & Mercurius Cyllenen;
Ortygiam Phæbe, Tritonia jactat Hymetton:
Nisa colit Prochytem; Prochytes si commoda norint,
Ortygiam Phæbe, Tritonia linquet Hymetton.
CHR. Hic specus, hic rupes, texendisque optima nassis
Vimina sunt, junci, densæque per avia myrtus:
Si mihi nunc Pholoë, vel tantum Chloris adesset,
Quam bene pugnaces possem contemnere ventos?

IOL. Nulla mihi sine te rident loca; displicet æquor,
Sordet terra, leves odi cum retibus hamos:
At si aderis tu Nisa, placebunt omnia: lætus
Tunc ego vel Libycis degam piscator arenis.
CHR. Dat Rhombos Sinüessa; Dicarchi littora Tagros;
Herculeæ Mullum rupes; Synodontas Amalphis;
Parthenope teneris scatet ambitiosa puellis:
Quis mihi nunc alias scrutari suadeat algas?
IOL. In fluviis Mugil versatur; Sargus in herbis;
Polypus in scopulis: mediis Melanurus in undis:
Ante tuas, mea Nisa, fores ego semper oberro:
Quæ mihi det tales jucundior insula portus?
MOP. Hactenus ô Celadon resonis sub rupibus illos
Inter se vario memini contendere cantu,
Horrida ventosi ridentes murmura ponti:
Qui tamen & laudes, & munera digna tulere
Carminibus, sed quæ nequeat contemnere Triton:
Hic, quam Circeio nudus sub gurgite cepi,
Nativis concham maculis, & murice pictam:
Ille recurvato nodosa Corallia trunco.

FERDINANDO FEDERICI Regis F. ARAGONIO CALABRIÆ Duci.

ECLOGA IV.

Proteus.

NUnc primum notas velis majoribus undas
Currimus, ô Nymphæ Craterides: ordine quando
Suadet amor, charæ primos telluris honores
Dicere: cæruleæ magni Crateris alumnæ
Telluris primos charæ dicamus honores,
Dum radiis fervens medium Sol excoquit æquor.
Tu verò patriæ juvinis decus, edite coelo,
Spes generis tanti: seu te nimbosa Pyrene
Pro dulci Latio, pro nostris detinet arvis:

Seu

Seu vagus objecto munimine claudit Iberus,
Rumpe moras: nec te latis Hispania regnis
Alliciat, stirpisve tuæ primordia, & ille
Gentis honos; licet effuso Tagus impleat auro,
Et pater Oceanus spumanti perluat undâ.
Nam mihi, nam tempus veniet, cùm reddita sceptra
Parthenopes, fractosque tuâ sub cuspide reges
Ipse canam: nunc littoream ne despice Musam.
Quam tibi post sylvas, post horrida lustra Lycæi
(Siquid id est) salsas deduxi primus ad undas,
Ausus inexpertâ tentare pericula cymbâ.
  Quæ vada non norunt, quis nescit Protea portus?
Illum olim veteris pascentem ad saxa Minervæ,
Mulcentemque suas, divino carmine, Phocas,
E puppi sensêre Melanthius, & Phrasidamus,
Ut fortè a capreis, obscurâ nocte, redibant:
Sensêre & vario delphinas ludere cursu,
Tritonumque choris longe freta pulsa sonare.
Ipse autem, haud quaquam mortali digna referri
Verba sono, vacuas lætus cantabat ad auras:
Terrigena ut quondam matris de ventre Tiphoëus
Exiliens, infanda deos ad bella vocasset:
Ut fratrum primus, furiis, & hiantibus hydris
Instructus, densas ductaverit ipse catervas:
Ut nisu ingenti partes de monte revulsas
Ænariam, Prochytenque altis immiserit astris,
Ac totum subito cœlum tremefecerit ictu:
Tum pater haud segni molitus fulmina dextrâ
Immanes acies dejecerit, atque trophæum
Jusserit ardentes testari sulfure Praias;
Quòd gens victa illi, lavisset vulnera lymphis.
  Hinc magni Alcidæ tauros, stratumque profundum
Aggeribus memorat, ductamque per oppida pompam.
  His veteres addit Cumas, loca cognita Phœbo,
Vatis & horrendæ lucos, Triviæque recessus;
Cimmeriûmque domos & opaca in vallibus antra.

Te quoque formosæ captum Nesidos amore,
Pausilipe, irato compellat ab æquore questu.
Ah! miser, ah! malè caute, tuæ quid fata puellæ
Acceleras? cupit in medios evadere fluctus!
Infelix: cupit insuetum finire dolorem.
At tibi nec curæ est, quòd eam Neptunia monstra
Circumstent, mare nec rapido quòd sorbeat æstu.
Ah! miser, ah! malè caute, ultrà quid brachia tendis?
Siste gradum; fugit illa jugis adsueta nivosis
Venatrix; quam mille feræ timuere sequentem
Per saltus: vos hanc Panope, vos candida Drymo,
Cymothoëque, Rhoëque, Pherusaque, Dinamoneque,
Accipite: & vestris sociam lustrate choreis.
Tum canit antiquas sedes, opulentaque regna
Auricomæ Sirenis, & altum in monte sepulcrum,
Sacraque Chalcidicosque Deos, magnisque per æquor
Auspiciis vectas; hæc ipsa ad littora, classes.
Tum liquidos fontes subter cava mœnia ducit,
Attollitque arces, & culmina montibus æquat
Tectorum: vastas protendit in æquora moles,
Eupleamque procul trepidis dat cernere nautis,
Atque Pharon jungit scopulos, præruptaque saxa
Theleboûm, Sernique amnes, & pinguia culta.
Tum canit, ut Coridona sacro Melisæus in antro
Viderit, & calamos labris admoverit audax:
Formosum quibus ille olim cantarat Alexin,
Dixerat & musam Damonis, & Alphesibœi:
Queis fretus, dictante deâ, tot sydera nobis
Prodiderit, tantas cœli patefecerit oras.
Quid referam aut Stabias, aut quæ tenuisse canoris
Virginibus fama, est abeuntes saxa carinas?
Aut ut terrifici sonitus, ignemque Vesevi,
Et desolatas passim defleverit urbes?
Postremò reges, regumque ex ordine pugnas
Enumerat: bellique artes, & præmia narrat.
Addit tristia fata, & te, quem luget ademptum

Italia infelix (sive id gravis ira Deorum,
Seu sors dura tulit) trans altas evehit Alpes,
Mox agit Oceani propè littora: denique sistit
Spumantem ad Ligerim, parvâque includit in urnâ.
Heu! sortem miserandam, heu! pectora cæca futuri!
Hæccine te fessum tellus extrema manebat
Hospitiis, post tot terræque, marisque labores?
Pone tamen gemitus: nec te monumenta parentum,
Aut moveant sperata tuis tibi funera regnis.
Grata quies patriæ: sed & omnis terra sepulcrum.
Hæc ille, & quæ vix audita prioribus annis
Heroum longæva queat meminisse vetustas,
Commemorat: socio respondent æquora plausu;
Luna suam donec paulatim fundere lucem
Cœpit, & ad vitreas redierunt Numina sedes.

CASSANDRÆ MARCHESIÆ, *mulieri præstantiss.*

ECLOGA V.

Herpylis Pharmaceutria.

Dorylas. Thelgon.

SEd jam vulgatos & nos referamus amores:
Quos pariter gratâ scopuli pendentis in umbrâ
Hinc Dorylas, hinc Theleboi maris adcola Thelgon
Certantes docuere: quibus cava littora, & ipse
Æquoreus Platamon, sacrumque Serapidis antrum
Cum fonte, & Nymphis adsultavere marinis.
Tu mihi, seu doctas percurris Palladis artes,
Mæoniæque aurum, & subtegmina vincis Arachnes:
Seu Dryadum choreis, cœtuque mista Dianæ
Haud minor incedis; pictaque adcincta pharetrâ
Venatu Prochyten, maternaque regna fatigas:
Sive Dicarchæis quò molibus adsilit æquor,
Ludentes spectas Nereidas: en age nostros,

(Siquis honos pelagi) Caſſandra en aſpice luſus.
Non ingrata cano, penituſque injuſſa: neque unquam
Arguerint ventura meis te ſecula chartis
Præteritam; faveat modò non invitus Apollo,
Et quæ me facili vexere per æquora remo
Pierides: queis longa dies & nomina curæ.
Intereà Dorylam juvet hîc audire canentem.
DOR. Sebethi ad liquidas deſcenderat Herpylis undas,
Herpylis Euboidum non ultima: quam pater Alcon
Erudiit; Muſis, & Phœbo cognitus Alcon.
Venerat, & ſocii partem ſubitura laboris
Unanimis ſoror, & calathum de more ferebat:
Ipſa comas effuſa, pedemque exuta ſiniſtrum,
Cum philtris longum ſubmurmurat: atque ita fatur.
Pone aram, & vivos hauri de flumine rores,
Canaque vicino decerpe abſinthia campo.
Illum illum magicis conabor adurere ſacris,
Qui miſeram totâ ſpoliatam mente reliquit.
Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Rhombus ad Æmonias revocetur aheneus artes:
Siſtere qui pluvias, qui pellere nubila cœlo,
Qui potis eſt trepidos undis abducere piſces.
Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Alga tibi hæc primum tumidi purgamina ponti
Spargitur, & rapidis abſumitur arida flammis:
Sic mihi, ſic Mæon, uraris aduſque medullas.
Volvite præcipitem jam nunc, mea licia rhombum.
Tèr muſcum Clearista, tèr hunc ſine forcipe cancrum
Ure ſimul, cumque his dic, viſcera Mæonis uro.
Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Spongia nunc lacrymis perfunditur. heus bona magno
Spongia nata mari, lacrymas bibe ſedula noſtras:
Utque rapis ſitiens illas, ſic Mæonis omnem
Mæonis ingratiæ rapias de pectore ſenſum.
Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Ut pumex pingueſcit, ut æquoris unda quieſcit,
Quæ

Quæ ventis agitata huc illuc concita fertur.
Sed quid ego heu! trifti pectus concuffa dolore
Imprecer, & vanis jactem convitia ventis?
Mæon tot mihi damna, ego Mæoni verba rependam?
  Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Huc huc, qui rigidâ meditaris vulnera caudâ
Sæve Trigon, & tu, proprium cui fiftere naves
Veliferas Echenæis, adefte: & Mæonis acres
Tu retinere pedes, tu figere corda labora.
  Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Tunde jecur, fpumamque fimul Torpedinis atræ:
Hæc ego cras illi lethalia pocula mittam:
Ebibat, & fubitò pallentes torpeat artus.
  Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.
Scinde manu leporem: leporis penetrabile virus
Nafcitur Eois hic fluctibus: adtulit Ægle,
Docta Ægle, juffitque inimicum tangere limen.
Curre age, tange fimul, fimul obline: cras mihi pœnas
Perfidus ille dabit; gemet ipfo in limine Mæon.
  Siftite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.
Contere & Halcyonis nidum mihi: pellere ventos
Dicitur, & fævas pelagi mulcere procellas:
Forfitan hic noftros fedabit pectoris æftus.
  Siftite præcipitem, jam fiftite, licia, rhombum.
Hactenus ille: quid huic fubjunxerit ordine Thelgon,
Accipe. non omnes unus dolor angit amantes.
THE. Rupe fub hâc mecum fedit Galatea: videbam
Et capreas, & quæ Sirenum nomina fervant
Rura procul: veteres, aliâ de parte, ruinas
Herculis ambufta fignabat ab arce Vefevus.
  Exere cæruleos, Triton, de gurgite vultus,
Ipfe meas Triton Nereo deferre querelas,
Ipfe potes curvâ refonans fuper æquora conchâ
Et fcopulis narrare, & fluctivagis balænis,
  Exere cæruleos, Triton pater, exere vultus.
Hic primos mihi congreffus dedit illa roganti:

Hic niveam formosa manum porrexit, & (eheu !
Quid recolo ?) tacitos in me deflexit ocellos.
Exere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.
Huc ades, ô mea cura, quid ô ! quid lenta moraris ?
Ipse ego te propter socios, cymbamque reliqui.
Exere cæruleos, Triton pater, exere vultus.
Hic tibi consuetas formosior explicat umbras
Populus ; amplector sæpè hanc, atque oscula figo
Corticibus : sæpe ipsa pedum vestigia quæro :
Et siquid manibus tetigisti, floribus orno.
Exere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.
Quem mihi nunc præfers ? si te juga frondea, si te
Arbuta, pascentesque juvant per rura capellæ :
Nos quoque non graciles nunc primùm jungere avenas
Discimus. incisas implent mea carmina fagos :
Et mea Mænaliis pendet jam fistula sylvis.
Exere cæruleos, Triton pater, exere vultus.
Sin magis arrident hæc littora, sin magis alti
Divitiæ pelagi ; sparsos quis cogere pisces
Doctior, aut rigidum dextra jactare tridentem ?
Exere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.
Non ego delphinis, te judice, non ego thynnis
Æquore vel medio dubitem certare natando.
Quid tibi me jactem ? cui vix numerare vel hamos
Nunc vacat, aut restes, oneratque retia plumbo,
Et Sinuessano textas, de vimine, nassas.
Exere cæruleos, Triton pater, exere vultus.
Me Ligurum duræ rupes, me Gallica norunt
Littora : piscantem pariter me Varus, & ingens
Sensit Arar, sensère maris fera monstra Britanni.
Obrue cæruleos, Triton, sub gurgite vultus.
Et post hæc (heu !) dura fugis ? non te mihi tellus
Extera, non venti rapuere. sed accipe munus,
Accipe, non ultrà tecum Galatea sedentem
Adspicies. I, læta novas meditare choreas.
Obrue cæruleos, Triton pater, obrue vultus.

TRA-

TRAJANO CABANILIO
TROJÆ & MONTELLÆ Domino.

Salices. Appendix.

SI vacat, & blandos etiamnum ventilat ignes
Quæ Dea cæruleâ vehitur ſuper æquora conchâ,
Turrigeramque Paphon, ditemque Amathunta tuetur.
Accipe flumineas properatum carmen ad undas,
O mihi non dubiâ Cabanili cognite famâ,
Sed longè varios rerum ſpectate per uſus.
Nam tibi me doctæ ſic devinxere ſorores,
Sic mea felici permulcent pectora curâ :
Ut vix illa queam melioris tempora vitæ
Te ſine, vix placidos per noctem ducere ſomnos.
En agedum Trajane, tuis hæc prævia juſſis
Tractanti, jamjamque animo majora paranti
Da veniam, & tenues ne dedignare Camœnas.
Fortè inter virides (ſi vera eſt fama) geniſtas
Capripedes Satyri, paſſimque agreſtia Panes
Numina, cum Faunis, & montivagis Sylvanis,
Exercet dum Sol raucas per rura cicadas :
Vitabant æſtus, quâ pinguia culta vadoſus
Irrigat, & placido curſu petit æquora Sarnus.
Grata quies nemorum manantibus undique rivis,
Et Zephyris denſas inter crepitantibus alnos.
Dumque leves aptant calamos, dum ſibila preſſis
Explorant digitis, tenuique foramina cerâ
Obducunt, vario modulantes carmina cantu :
Auricomæ viridi ſpeculantur ab ilice Nymphæ
Dulcia clariſonis ſolventes ora cachinnis :
Sed propè ferre pedem metuunt, nam ſæpè labores
Audierant Panæa tuos : & qualibus olim
Infelix eheu virgo Nonacria fatis,
Infelix virgo (quid enim non illa moveret ?)

Pana metu fugiens è vertice Cyllenæo;
Pana deum Arcadiæ quamvis pulcherrima, quamvis
Dianæ sacros inter lectissima cœtus,
Nodosâ tenerum mutârit arundine pectus.
Quas simul ac nemorum petulans, effrænaque pubes
Semiferi vidêre per herbida prata vagantes,
Occultamque imis flammam traxere medullis:
Sic timidis blandis hortantur vocibus ultrò:
Huc huc, ô teneræ placidissima turba puellæ:
Quid procul adstatis? potiùs succedite ripæ,
Et viridi in prato molles de more choreas
Ducite, quandoquidem calamos inflamus inertes;
Et frustrà ad surdas jactamus carmina sylvas.
Illæ nil contra: celeri sed nuda parabant
Crura fugæ, tutosque agitabant mente receptus,
Si quà fortè viam per saxa irrumpere, & altis
Evasisse jugis, Deus, aut sua fata dedissent.
Tum juvenes procul ô, clamant, procul iste, puellæ,
Sit timor, ignavas animo depellite curas:
Nullæ hîc insidiæ, nullæ per aperta latebræ;
Cuncta patent; nullas abscondunt hæc loca fraudes.
Nos quoque non Lernæ monstris, non igne Chimæræ,
Scyllæisve lupis geniti, aut latrante Charybdi,
Qui vestra immani laceremus viscera morsu:
Sed divûm genus, & qui semper rupibus altis
Vobiscum crebris venatibus insultemus.
His dictis permulsi animi, securaque tristem
Corda metum ejiciunt: gressuque per uda citato
Prata, deis tandem cupidis, ripæque propinquant.
Tum manibus simul implicitis per gramina festas
Exercent choreas: aliosque aliosque reflexus
Inter se lætæ repetunt: nunc corpora librant
In saltus: nunc molle latus, nunc candida jactant
Brachia; & alternâ quatiunt vestigia plantâ.
Hic Satyri, quanquam voces audire canentum
Crudeles, quanquam niveas spectare papillas

Exul-

Exultant, oculiſque bibunt ſitientibus ignem:
Tanta tamen ſævi gliſcit vis effera morbi
Pectoribus, præcepſque amor, & maleſana libido,
Ut calamis ſensim ejectis, ruptoque repentè
Fœdere, ſurgentes ab humo, vento ocyùs, omnes
Exiliant, ſpretáque Deûm pietate, fideque
Ah! pavidas Nymphas, ſubitoque horrore rigentes
Invadunt avidi, ſævorum more luporum,
Qui lætas mediis proturbant luſibus agnas,
Oblitaſque ſui paſſim rapiuntque, trahuntque,
Dum viridi in campo curſant, aut valle ſub altâ,
Et cuſtos ignarus abeſt, & amica canum vis.
Sic illi; at miſeræ diſciſſo pectore Nymphæ
Frondiferam mœſtis ſylvam clamoribus implent;
Atque huc, atque illuc fugiunt, non ſaxa, neque altis
Tuta putant loca ſenta rubis: hinc ardua montis
Prærupti juga, diffuſos hinc ſtagna per agros
Attonitæ circumſpiciunt; via nulla ſalutis:
Et jam ſpes prærepta fugæ, tum denique ad undas
Conſiſtunt trepidæ, flavoſque à vertice crines
Cum lacrymis, gemituque, & flebilibus lamentis
Abſcindunt, Sarnumque vocant, liquidaſque ſorores.
Dumque vocant, fundo properat chorus omnis ab imo
Naïadum, properat vitreæ rex cærulus undæ,
Sarnus, inexhauſtumque vadis ciet agmen aquarum,
Rauca ſonans: ſed quid Sarnuſque, aut illa natantûm
Agmina Naïadum poſſint, ubi ferrea contrà
Stant fata, & duro leges adamante rigeſcunt?
Ergo defectæ curâ, auxilioque Deorum,
Ac cœlum pariter Nymphæ, lucemque peroſæ,
Unum illud rebus tandem quod reſtat in arctis,
Finem optant, jamque in fluvium ſe mergere adortæ,
Membra reclinabant, & aquas prono ore petebant;
Cùm ſubito obriguere pedes, latéque per imos
Exſpatiata ungues radix fugientia tardat,
Adfigitque ſolo veſtigia; tum vagus ipſis

Spiritus emoritur venis, indignaque pallor
Occupat ora, tegit trepidantia pectora cortex;
Nec mora, pro digitis ramos exire videres,
Aurataſque comas glaucâ caneſcere fronde;
Et jam vitalis nuſquam calor, ipſaque cedunt
Viſcera paulatim venienti frigida ligno.
Sed quamvis totos duratæ corporis artus,
Caudicibuſque latus, virgultiſque undique ſeptæ,
Ac penitùs ſalices; ſenſus tamen unicus illis
Sylvicolas vitare deos, & margine ripæ
Hærentes, medio procumbere fluminis alveo.

JO. BAPT. AMALTHEI.

LYCIDAS.

ECLOGA VI.

HIs deploratam in ſylvis, nemorúmque latebris
Dicemus Lycidæ Muſam: quem flumina circùm,
Quem flevere ſuo ſpoliati gramine colles.
Tu modo, cui patriæ aſſurgunt jam libera regna,
Aureáque æterno revocantur ſecula mundo,
Coſme, ades, & noſtris nunc primum allabere cœptis.
Ipſe tibi Pario ponens de marmore templum
Gramineâ in ripâ, quà Tuſcus labitur Arnus,
Velocis quondam inſtituam certamina curſus.
Illic victor ovans, & præmia debita laudi
Accipiet, populiſque ſuos teſtatus honores,
Victrices referet, Tyrrhena per oppida, lauros.
Intereà agreſtes ne dedignare Camœnas.
Pallida cedebant venienti ſydera Soli;
Cum Lycidas juſſus terras luſtrare repoſtas,
Effudit miſeros, extremo hoc carmine, queſtus.
Formoſi colles, & nymphis cognita rura,
Et liquidi fontes, atque addita fontibus antra,
Sylva-

Sylvarúmque valete umbræ: quæ dulcia nobis
Otia, quæ charos olim peperistis amores.
Jam me complexu eripiunt fata impia vestro,
Ut videam iratas errantia monstra per undas,
Desertóque iterum mœstos in littore questus.
Quòd si quando imâ audistis sub valle canentem
Pastorem Lycidam, teneros dum pasceret agnos:
Idem si tenui vobis allusit avenâ:
Hoc saltem viridi signatum in cortice carmen,
Suspensamque sacra Lauro defendite avenam:
Quam non ulla dies superet, non ulla vetustas.
Hinc ego ad ignotos saltus, & vasta Pyrenes
Rura vocor (quis enim tanto caruisse recessu,
Et sese dubiis committere fluctibus ultrò
Crederet ah! miserum Lycidam?) feliciáque arva
Deserere, & notis cogor decedere sylvis.
Ipse igitur pecudes, alio sub sole, requiram:
Externasque petam, diversa per æquora, terras.
Nec mihi jam blando decurrens murmure rivus
Herbarum in gremio suadebit carpere somnos.
Nec teneris posthàc incidam Amaryllidis ignes
Arboribus, quam mille greges comitantur euntem:
Quæ mecum inter oves, atque inter opaca salicta
Suerat odoratis intexere lilia sertis,
Aut defessa levi componere membra sopore.
Ah! dolor, & patriæ fines, & commoda curis
Parta meis, semperque virentia prata relinquam:
Scilicet ut surdis jactem lamenta procellis,
Et patrias medio suspirem in gurgite sedes.
Me non excipient herboso margine ripæ:
Non salientis aquæ gelidâ sub rupe susurrus,
Non dorso nemoris solabitur aura jacentem.
Spirabant dulces Zephyri: spirantibus illis
Cantabam, quo sole pyrum, quo sydere vitem
Insererem, & certis mandarem semina sulcis.
Vos veris comites auræ, Divúmque ministræ;

Quandoquidem cœlo infertis mortalia vota;
Vos placidæ ſalvete auræ: mecumque, per æquor,
Atque per inſuetos mecum decurrite campos.
Huc gemitum, & noſtras referetis ſæpe querelas:
Quas fors accipiat madidis Amaryllis ocellis,
Et noſtri deſiderio crudeliùs ardens.
O mihi ſi veteres recolens Amaryllis amores
Illacrymet, ſi ſollicito ſuſpiria corde
Ducat, & inſanis revocet me triſtis ab undis:
Forſitan indignos terræque mariſque labores
Hinc tandem querar: & vacuo reſupinus in antro
Te fugiente die, te decedentibus aſtris
Tunc Amarylli canam. Sed jam his divellor ab agris.
Rura valete iterum: ſic vobis mella geniſtæ,
Sic inarata graves tellus effundat, ariſtas:
Pabuláque ut longo tondent ſub ſole juvenci,
Exiguâ ſic nocte novis ros veſtiat herbis.
Aurea mala prius ſterili naſcentur in alno,
Atque inculta ferent mites dumeta racemos,
Quàm veſtri curam abjiciam: tamen altera rura
Ipſe colam audaci permenſus cærula pinu.
Ergo & oves cuſtode alio per pinguia prata
Errabunt, paſtæque ſimul cava in antra redibunt.
Tu vero ſpes fida gregis, quænam arva pererres
Infelix aries? quis te in convalle reductâ
Nunc molli violâ, croceis nunc floribus ornet?
Gramineoſque toros, viridi de ceſpite, ponat?
At vos ô lauri, quarum fragrante ſub umbrâ
Et noſtra inſolitis caluerunt pectora flammis,
Noſtraque Mænalios meditata eſt fiſtula cantus:
Sic ver aſſiduum foveat, ne frigora lædant,
Néve unquam læto rami ſpolientur honore.
Ipſi etiam auratis aſſurgant cornibus amnes
Supra Indum, & Gangem: lacrymis quos ſæpe profuſis
Auximus, & noſtro latè ſuccendimus igne,
Cùm me ad delicias, formoſa Amarylli, vocares.

Nunc

Nunc verò, quoniam ſuperi tot gaudia nobis
Invidêre, trucis tentare pericula ponti,
Et Pyrenæo confidere vertice certum eſt.

ECLOGA VII.

Acon.

O Quis Dictæi ſtatuat me in vertice montis,
Aut fortunatos Erymanthi ſiſtat ad amnes;
Ut ſaturis panacem calathis; ut molle cyperum,
Dictamnumque legam, & fragrantia germina myrrhæ:
Et relevem infirmos artus languentis Hyellæ.
Illa quidem vix ægram animam ſuſtentat anhelo
Pectore, & indignis ſingultibus interrumpit;
Nec vis ulla poteſt ſævum lenire dolorem.
Illam etiam lacrymantem, etiam ſua fata querentem
Stellarum vigiles ignes, & primus Eous,
Et Sol Heſperias vidit devexus ad undas.
Sol pater, æterno cœlum qui lumine luſtras,
Et quæcunque parit tellus vegetaſque foveſque,
Affer opem, & mœſtam auxilio ſolare puellam.
Jam tibi Acon teneras, vicina ad flumina, lauros
Inſeret: atque ut nil unquam ſurgentibus obſtet
Frondibus, avertet glaciem, & defendet ab æſtu.
Has tibi Acon: at ſi macies, ſi pallor Hyellam
Liquerit, & niveos decorarit purpura vultus,
Ipſa feret, cum ver nitidis ſe floribus ornat,
Ipſa feret, mites cum ſtringit vinitor uvas.
Scilicet, & viridi in ripâ quà ſe hoſpita denſis
Extendit ramis arbos, altaria ponet,
Semper flore novo, ſemper quæ veſtiat herbis,
Illic agreſtum chorus, & vicinia ruris
Sacra feret, ſupplexque tuos cantabit honores:
Straveris ut quondam iratis Pythona ſagittis;
Tinxeris & fœdo victricia tela cruore.
Mille tibi aeriâ pendebunt ſpicula quercu,

Mille arcus, atque apta suo venabula ferro.
At vos, quæ nemora, & rorantia fontibus antra
Incolitis, Nymphæ; vestras si sæpius aras
Verbenâ, primisque rosis donavit Hyella,
Et dedit aureolis insignia serta corymbis;
Vos ferte Eoos ditantia cinnama lucos,
Felicemque Arabum messem, Assyriosque liquores.
Vos ægram refovete, & tristes pellite morbos.
En virgo, exanimis virgo tabescit: & ille,
Ille color roseo jam jam defloruit ore.
Qualis purpureus, secretâ in valle, Hyacinthus,
Quem mater tellus aluit, gremioque receptum
Eduxit largo rore, & felicibus auris,
Si cœli invasit vitium, aut immanior Auster
Paulatim læto formæ spoliatus honore,
Deficit, & moriens arentibus incubat herbis.
Nunc etiam insuetos testantur rura dolores,
Et desolatis squallescunt pabula campis.
Pro violâ mediis horret paliurus in agris:
Candidaque inflexo ceciderunt lilia thyrso:
Et nulla irriguas pingunt vacinia ripas:
Et desunt nemori frondes, & gramina pratis.
Fons quoque desiliens prærupti tramite clivi
Contraxit liquidas nunc terræ in viscera venas.
Et desiderio formosæ accensus Hyellæ,
Vix fertur tenui, per lævia saxa, susurro.
Abde caput miserande, & fractâ turbidus urnâ
Muscoso occultare situ, cæcisque latebris:
Non ô, quæ vitreis tecum colludat in undis.
Abde caput miserande, cavoque inclusus in antro
Et lucem indignare, & aperti lumina cœli:
Non ô, quæ blando currentem carmine sistat:
Non ô, quæ dulces latices dulci hauriat ore.
Crudeles morbi, vestro de semine labes
Insedit, roseisque genis, roseisque labellis,
Dejecitque decorem oculis: & sævior eheu!
Ingruit

Ingruit, & miseram sylvis avertit Hyellam,
Ah! ne dira lues contagia proferat ultrà:
Ah! ne artus ultra, pallentiáque occupet ora.
Parcite jam tenerisque genis, tenerique labellis:
Et color, & pulchræ redeat sua gratia formæ.
Tu vero mea Hyella, meæ pars altera vitæ,
Pone metum, en tibi Pæonios fert munera succos
Ipsa Pales, alacresque ferunt sua dona Napææ,
Costumque, Illyricamque irim, vescumque papaver:
Quorum ope & effœto fugiant è corpore morbi,
Et placidus fessis obrepat somnus ocellis.
Jamque pedem in sylvas referes, notosque recessus;
Adventuque tuo fonti cursum uberis undæ,
Et nemori frondes, & pratis gramina reddes;
Et fœcunda novis ridebunt frugibus arva;
Et tibi odoratos submittet terra colores.

DANIELIS HEINSII
THYRSIS.
ECLOGA VIII.

AMissum tristi longævum funere Thyrsin,
Thyrsin, delicias pastorum, & gaudia ruris:
Amissum flebant pueri, Mnasylus & Ægon.
Flebant, & lacrymis ingentibus ora rigabant,
Flebant & populi, flebant armenta, gregesque.
Sed tamen ante alios longè mœstissimus Ægon,
Sæpe illi solitus, cum nox obscura capellas
Cogeret, & mœstos arceret matribus hœdos,
Sæpe suos illi recitare assuetus amores,
Et duræ fastus Amaryllidis. ille senectæ
Oblitus propriæ, proprioque oblitus amores,
Præbebat facilem pueris cantantibus aurem.
At puer infœlix amisso Thyrside, solus
Errabat, mare vicinum vicinaque circum

Littora: vel Rheni ſpatioſo proximus alveo,
Crudeles Divos, & flecti neſcia fata,
Poſcebat Thyrſin: ſed nec crudelia fata,
Nec diri ereptum reddebant funere Thyrſin.
Sæpe illum immemorem feræ decedere nocti
Heſperus invenit lacrymantem, & dura vocantem
Sydera nequicquam: ſæpe illum invenit eundem
Lucifer: errabant ſolæ per devia capræ.
Tum quoque Mnaſylum viridi complexus in algâ,
Talia jactabat nil reſpondentibus undis.
Ecce peregrino redeunt è littore puppes,
Et cum nocte pecus, redeunt cum nocte juvenci:
Omnia cum redeant, ceſſat mea gaudia Thyrſis.
Septima formoſos cœlo nox extulit ortus,
Et toties juga jam bobus detraxit arator,
Et matutinos decuſſit bucula rores;
Thyrſis abeſt: abſentis adhuc veſtigia littus
Exhibet, & fruſtra, quacunque in littore paſſus
Thyrſidis apparent, hic & veſtigia figo,
Perque eadem errantem nox occupat, & videt Eos
Altera, nec vacuæ ceſſant plangoribus horæ.
Intereà pecudes, nullo paſcente, per herbam
Vicinas comitantur oves: mœſtæque juvencæ
Noctis in adventum vicina armenta ſequuntur.
Lac quoque, ſit quamvis jam formoſiſſimus annus,
Aret in uberibus: nec me mulctralia, donum
Thyrſidis extremum, nec quæ mulctralia plenis
Admovet uberibus, ceu quondam, Theſtylis urit,
Extinctique animo languent Amaryllidis ignes.
Carmina jam ſordent (nam cui mea carmina cantem?)
Et mihi diſcedens tamen hæc armenta reliquit.
Et dixit moriens: poſt me pulcherrimus Ægon,
Ægon hos calamos, mortis ſolatia noſtræ,
Inflabit; tanto reliquis dilectior Ægon
Quanto pulchra ſuo capra eſt villoſior agno,
Quamvis ſæpè meos ſervavit Tityrus hœdos,
Et

Et mihi sæpe suos Mnasylus rettulit ignes.
O dilecte puer, tu nunc cantabis in illo
Littore, nec nostras unquam oblivisćere Musas.
Ipse etiam tumulo facies solennia nostro,
Ipse apium, ipse hederas, ipse humida lilia carpes,
Extremamque meis intexes ossibus umbram.
Atque aliquis forsan Lethææ in gramine ripæ
Deferet erranti tua carmina: cum mare Thyrsin,
Cum Thyrsin scopuli, percussaque saxa sonabant.
Audiet extinctus post se sua nomina Thyrsis,
Audiet, & priscos animo revocabit amores.
Audiet ipse suam, lætusque agnoscet, avenam.
Nec tibi linguarum contagia, nec mala Codri
Jurgia sunt metuenda: petat licet omnia livor.
O dilecte puer, tu nunc in littore pasces
Has pariter, pariterque tuas, quas ante tenebas.
Nos procul hinc (nec enim non cedunt omnia fatis)
Persephones pascemus oves: ubi purior aër,
Et vivi fontes, & sponte innoxia taxus.
Nec mare littoribus pugnat, nec flumina ripis
Diluviem meditantur. amant & flumina ripas,
Et mare tranquillum securam allabitur algam.
Hæc Ægon, Ægona suo Mnasylus ab antro
Excipit, & tristem solatur carmine curam.
Sidera, quæ blandos hominum spectatis amores,
Egressi terris juvenes, quos æthere summo
Fixit, & æterno sacravit Jupiter auro.
Vos etiam quondam pars hoc in littore nostri
Cantabat Thyrsis: nunc vobis proximus ipsis,
Ipse suas coelo vobiscum conspicit agnas.
Et favet, ut quondam, pastoribus, & pia ducit
Otia; nec tristes aspirat ab æthere ventos.
Quaque movet, Zephyri accedunt, imbresque furentes
Comprimit & Borean, & agentes nubila Coros.
Forsitan & pascit, ceu quondam pavit in herbâ,
Nubibus in mediis: & nostro gaudet amore.

Nec Deus Arcadiæ numen præſentius illo eſt,
Nec Deus Arcadiæ certet cum Thyrſide jungi.
Thyrſis & infeſtas extinxit frugibus herbas,
Et ſegeti gratos defendit ſentibus agros,
Et lolium infelix, & inertem ejecit arenam.
Horret humus, ſquallet rapto Parnaſſia rupes
Thyrſide, nec cœtus hominum reſpexit Apollo.
Thyrſis & ignotum paſtori repperit annum,
Errantemque ſuo diſtinxit limite menſem,
Æqualeſque dies, & priſcum reddidit ævum.
Thyrſis & antiquos docuit procedere ritus.
Quo Cereri gratus ſua præmia meſſor in umbrâ
Solveret, ingentem aſpiciens ſecurus acervum.
Quo tibi, magna Pales, ſacro de ſulfure fumum
Fecerit, & feſtum paſtor tranſmiſerit ignem,
Cum lauro velantur ovilia, caſtaque laurus
Luſtrales latices, & noxæ oblivia verſat.
Nunc quoque humo, pueri, ſaxoque inducite laurum,
Thyrſidis, & puræ ſpargantur frondibus undæ.
Undam alii ſpargent, tumulo lac inferet Ægon:
Lac Ægon: Mnaſylus aquas è flumine vivo
Hauriet, & ſævos arcebit nunc quoque ſoles.
Non tamen & nobis ſolatia parva reliquit,
Diſcedenſque, meis extremum amplexibus hærens
Pignus habe dixit: nec quiſquam ex agmine veſtro
Munera nulla feret. reddent hæc munera nobis
Extinctum Thyrſin. nec tu monumenta Menalcæ
Deſpice, quæ nobis Riphæi è frigore ponti
Miſit, & Arctois è montibus ipſe Menalcas.
Nec tu pauperiem, puer, aſpernabere noſtram,
Nec proavos meditare, ingentia nomina, noſtros.
Mille greges illis Benaci fluminis undam
Libabant: centum tondebant paſcua tauri.
Omnibus errabant ter centum in montibus agnæ.
Nunquam illis, nunquam teneris lac defuit hœdis;
Pars quoque preſſa fuit. ſæpe hæc mihi veſpere ſero
Nar-

Narrabat genitor, cœlo notissimus ipsi
Antiquus Corydon: quem nunc procul altera tellus
Detinet, & toto circumfluit amne Garumna.
Omnia fata tulere, & habebunt nos quoque fata.
Talia cantabant pueri: cantantibus illis
Hesperus extremam veniens abrupit avenam.

HUGONIS GROTII MYRTILUS,
sive Idyllium Nauticum,
AD DAN. HEINSIUM.
ECLOGA IX.

PRima mihi sylvis & amœno fonte relicto
Fistula ad Oceani fluctus & ad æquora venit,
Æquora quæ Batavis potius cantanda Poëtis:
Nam neque me tantum saltus, aut pascua circum,
Aut Hagæ nemus omne meæ juvat, invia quantum
Littora, pendentesque domos, scopulique cavernæ.
Non audita cano: labor hic tibi sumitur Heinsi:
Heinsi noster amor, siquid mea carmina possunt,
Te Libycus Garamas, te Java loquetur & Indi,
Et puppes Austrina ferent ad sidera cœli
Dia Sophocleo tua pulpita quassa cothurno.
Dicite formosæ Nereides, inclyta Ponti
Numina, quas voces, quæ carmina Myrtilus inter
Aërias rupes, & respondentia saxa,
Cochlidis insano jactârit saucius igni.
Jam defuncta malis pelagi ratis, acta per altum
Venit ad hos fines, ubi dividit insula pontum
Cara mihi, & solo notissima Cochlidis antro.
Tiphy ratim serva: si nox collegerit Euros,
Anchora demisso descendat in æquora ferro,
Aut littus prætexe, malus si sæviet Auster:
Sed brevia, & rapidas æstus fuge: dextera multis
Est via cæca vadis: securius ire sinistra.

Cochli, quid exspectas? quin, ut prius ipsa solebas,
Prospicis intonsi speculâ de montis in undas.
Meque procul reducem longo clamore salutas?
Heu quis mutavit mihi te Deus? an tibi pectus
Transversum novus egit amor? ne fallite nautæ,
Sumne alius quam nuper eram, cum candida Dorcas
Diceret, Hesperiis Dorcas prælata puellis;
Pulcher es: ipse tibi me judice cedat Amyclas.
Illa quidem dixit: sed vix ego credulus illi.
Ipse tamen, tamen in placido me flumine vidi,
Hirsutasque genas & latæ frontis honorem,
Et roseos crines, & cærula menta notavi,
Qualia vel Neptunus habet, vel qualia Nereus.
Testis anus Crotale, quæ ter mihi, Myrtile, dixit,
Despue: lingua tuos ne fascinet invida vultus.
Hæc eadem canto, quæ cum cantaret Arion,
Mulceretque Deos pelagi, circumstetit omnis
Delphinum chorus, & vatem servavit in undis:
Scilicet aut Boreæ veteres & Erechthidos ignes,
Aut Phorci laudes, aut cæruleam Amphitriten.
Æmulus at concha mihi perstrepit æquora Triton,
Miranturque sonum Panope Panopesque sorores,
Et Proteus, & Glaucus, & Inoüs Melicerta.
Heu placeo Nymphis: at non tibi: sola marinos
Despicis amplexus crudelis, & oscula vitas.
Quem fugis, ah demens? secuerunt di quoque pontum,
Et magni Minyæ Reges, & primus Iason
Per freta duxerunt abituram in sydera puppim.
Navifragis jactatus aquis incendit Ulysses
Sole satam Circen Atlantiademque Calypso,
Et sibi Nausicaë tales optavit amores.
Quid juvat? illa suum si me fastidit Ulyssem,
Quæ mihi Nausicaa, Circe prior, atque Calypso.
Sæpe ego te vidi, meminisses improba Cochli,
Cum per arenarum tumulos, & littora, conchas,
Oceani legeremus opes: nam tunc ego primum

Cum

Cum patre tentavi raucum mare, veris adulti
Tempore, nec dum ullâ pictus lanugine malas.
Sæpe etiam, serâ quoties sub nocte venirem,
Siccâsti æquoreïs manantes imbribus artus:
Nec te pœniteat, prius hoc quoque fecerat Hero,
Cujus ego & turrim Sestæo in littore vidi,
Nataque collegi vicinis ostrea saxis.
En etiam tibi dona fero miser, en nucis Indæ
Pôcla, quibus potavit Arabs, Sinisque petitum
Fictile: non alias tremui propiore periclo,
Et nisi Leucothoen mea tunc in vota vocassem,
Infelix Stygias ivissem nauta sub undas:
Quin & Teutonicis mecum fero condita testis
Smegmata, in Oceanum labentis munera Rheni.
His etenim Batavi, soli sulcare periti
Puppe salum Batavi, cœloque indicere ventos,
Martia gens toto pelagi divisa profundo,
Mense quater rutilant nodatos arte capillos:
Hoc ego pigmentum poscenti nuper Erinnæ
(Nata fuit magni Barcemonis illa) negavi:
Quamvis multa diu, per Dorida, per Galateam,
Per Thetin, erroresque meos quemcunque per orbem,
Luminibus pætis & blanda voce rogaret.
Et poteram donasse tamen; nam saxea non est.
At tu nil misereris: in hoc ego pactile sertum
Effundam rapido flagrantes corde dolores.
Ipse tibi Rubro prædatus in æquore sylvam
Alternas laurus & Medica mala jugavi.
Nunc labor ille perit: nam tu mea munera curas,
Quantum dura silex pontum, vel littora pontus.
Huc ades, ut casta velatus tempora quercu
Portuno ante alios, & dis, quorum æquora curro,
Sacra feram, reddamque reus solemnia vota,
Quæ rerum Oceanus genitor, quæ Tethys, & ipse
Nympharum accipiat Nereus pater. O mea Coelia,
Huc ades, ut cellis mecum deprompta Falernis

Musta

Musta bibas, cæsaque canens epulere juvenca:
  Aut si forte juvant thynni, mollesque platessæ
Te magis, & soleæ, mecum piscabitur Olpis:
Est mihi namque domi non invidiosa supellex,
Fiscellæ virides, nodosaque texta plagarum,
Filaque, & hærentes maculis humentibus algæ,
Cum Labyrintheo plexis errore sagenis.
Sunt jacula, & tumido fluitantes cortice fundæ,
Pendet & æquoreo pecori lethalis arundo,
Setaque, & impliciti lumbricis pinguibus hami.
Quid loquor infelix? Cochlis nihil audit, & idem
Qui mea vela solent, venti, mea verba tulerunt.
Si tibi dulce mei nihil est, ô ferrea, verè
Ferrea, dulce tamen mea mors erit: aspice tantum.
Ibo per has cautes, summoque cacumine lapsus
Deferar in fluctus: nomen mihi debeat æquor
Myrtoumque novum fiat mare: vivite rupes.
  Fallor? an huc Cochlis respexit, & omnia circum
Flabra silent, blandique favet pellacia Ponti?
Hic recubans cantabo: jubet locus, altaque subter
Saxa supercilio cohibent umbracula rupes.
  Cochli, quid in solis consumere cautibus ævum
Te juvat, & pensis viridem donare juventam,
Dum teneros multo digitos subtemine lassat
Mater anus? nostram potius conscende carinam.
Illic & vitrei fluctus & marmora Divûm
Prona jacent, speculoque sali stat solis imago,
Et picturato resplendet in æquore cœlum;
Sacraque Naturæ miracula, gurges aquarum
Insequitur Phœben, caudam Cynosurida magnes.
Quid mirum? sua quæque trahunt: te, Myrtile, Cochlis.
  Illic falsa salo labentibus insula, cete,
Et validæ Pistres, & Physeteres anheli,
Phocarumque natant examina: Pompilus illic
Per mare veliferum puppim comitatur euntem.
  Illic nata Venus, comitata Cupidine parvo,

Nunc etiam concha patrias quæ navigat undas,
Nudatoque ſinu pulcherrima Cymodocea
Captat in apricis vernantes fluctibus auras.
  Nam neque ſemper aquæ furit implacabilis æſtus,
Ventorumque fremit laxato carcere vulgus.
Sunt etiam ponto ſua gaudia; ſæpe per æſtum
Gurgite pacato ridet mare: ſæpe remotis
Vulturno & Borea, pluviamque cientibus Auſtris
Oebalios tantum Zephyrus ſuſpirat amores.
  Longa miniſteriis ſunt otia, pace ſerenâ
Mitia cum placidi requieſcunt terga profundi,
Altaque languenti deſcendunt cornua velo.
Aut igitur tacito luctantur in æquore tonſæ,
Aut ubi jam ferrum premit unco dente carinam,
Nos genus irrequies, alii, quorum indiget uſus,
Buxea ligna damus rudibus tornata figuris:
Pars facilem oramus reditum ventumque ferentem
Ingentes in puppe Deos: pars ſydera cœli
Metimur radio, & totum deſcribimus Axem.
Solertis labor ille Tyri: quæ prima meatus
Ætherios, & ſigna polo labentia vidit.
Tunc noſci cœpere Feræ, cuſtoſque ferarum
Arctophylax tarde pelagum ſubiturus, & alter
Ille quis eſt, lucet trino cui baltheus igne?
  Heu miſer excludor, durâque in rupe relinquor
Imbribus, ipſe parat radiis liventibus atrum
Sol Tarteſſiacis immergere fluctibus orbem.

GEORGII BUCHANANI

Deſiderium Ptolemæi Luxii Taſtæi.

ECLOGA X.

Usque adeo patrii ſordet tibi ripa Garumnæ,
Pictones ut ſcopulos, atque horrida teſqua frutetis

Durus

Durus ames? nec te sociûm, pecorisque, larisque
Cura tenet? nec quam sociis, pecorique, larique
Prætuleras, cui sæpe rosas, cui sæpe solebas
Pallida cum niveis vaccinia ferre ligustris;
Quam tu sideribus, quam tu componere soli
Ausus eras: cujus nitidis radiantia gemmis
Sola tibi purum fundebant lumina lumen?
Nunc tamen (heu nunquam constans in amore voluptas!)
Tu procul hinc steriles rupes colis immemor Agrii
Vasconicique gregis, Nymphæque oblitus amatæ:
Forsitan & stupidas bona carmina perdis ad aures.
Interea nostris pastoria fistula sylvis
Muta silet, mutæ pecudes, mutæque volucres,
Nec strepit assueto Zephyri levis aura susurro.
Noctua successit Philomelæ, & acanthidi bubo,
Strixque nocens pueris, & tristis ad omnia cornix,
Raucaque flumineæ recinunt convicia ranæ.
Sic ubi fausta sedet volucris, non gutture læto
Mulcet agros, non in tractus lasciva volatu
Emicat aërios, tristi sed murmure mœstum,
Et lugubre sonans sedet in dumis desertis
Abdita, turbatis deformis & horrida pennis.
Ipse ego cum calamos mœsti solatia luctûs
Sumere tentarem, crudumque levare dolorem
Carmine, vix primis admôram labra cicutis,
Sive fuit casus, seu (quod magis auguror) omen,
Et mala quæ mentem nunquam præsagia fallunt,
Flebile raucisonæ responsavere cicutæ.
Ipsæ etiam in tumidis Nymphæ Oceanitides undis,
Ipsæ etiam placidis Nymphæ Dordonides antris,
Ipsi etiam montes, ipsæ etiam convalles
Auditæ longas per noctem iterare querelas.
Sed neque te tantùm, quanquam te flumina lugent,
Nec tantùm Nymphæ, sylvæ, volucresque feræque,
Quantùm te in solis solus gemit Agrius antris.
Illum ego congressusque hominum & consortia tecta

Vitantem, tacitæ per muta ſilentia ſylvæ
Dum ſequor, & voces capto, & veſtigia ſervo,
Hæc memini mœſtâ convicia fundere linguâ:
Pictones ô ſcopuli, & nudis impervia ſaxis
Culmina, & exiguæ malè pinguia culta Crotellæ,
Quæque paris raras tantum ſylva horrida glandes,
Ah! quibus infames magicis in collibus herbas
Gignitis: Ææi quæ vis occulta veneni
Hinc procul in veſtris Ptolemæum detinet oris?
Certe ibi purpureis non lotos aquatica baccis
Quæ tenuit ſocios tardè redeuntis Ulyſſei,
Non Cereri luſtratus ager, non commoda bubus
Paſcua, non virides generoſo palmite colles,
Qualia Vaſconicæ felicia jugera glebæ.
Cæteraque ut conſtent, non quæ dedit ubera primum
Hîc genitrix, non quod tua primum infantia cœlum
Hauſit, & infirmis pulſus vagitibus aër,
Reptatumque ſolum puero, non falce notata
Sylva ſub hirſuto ſervat tua carmina libro,
Carmina nequicquam memorem ſpondentia mentem.
Quid tamen hoc prodeſt, patrii quod ripa Garumnæ
Et virides frondes, & amœnam in frondibus umbram
Prima tibi dederit, ſi tu non tangeris iſtis?
At te ſi capiunt in amœno robore colles,
Quodque per incultas areſcit gramen arenas,
Raraque quæ canis languet vindemia ſaxis,
Ipſe ſuas vites, ſua pinguia culta Garumna
Oderit, & nullâ redimitus arundine frontem
In mare per ſteriles lentè prorepet arenas.
Quid precer, ô ſylvæ, vobis, quid ſaxa, quid undæ?
Quid campis precer, & pecori, pecoriſque magiſtris,
Quos mihi, quos patriæ Ptolemæus prætulit oræ?
Sylva neget glandes, & Bacchi munera colles,
Torreat arva ſitis, ſcabies pecus, atra magiſtros
Peſtis, & inſani perimant contagia morbi,
Soſpite Taſtæo patriæque mihique ſibique

Imme-

Immemor, ut visat memores invitus amicos.
Hei mihi! quid sylvæ & campi meruere? quid undæ?
Quid pecus, & pecoris quid commeruere magistri?
Hæc ego devoveam, patriis quæ prætulit arvis
Pascua Tastæus? piget, & mea vota retracto:
Rursus & iratæ linguæ maledicta recanto.
Glande nemus, fœtu pecus, uvâ vitis abundet,
Puraque perspicuis manet de fontibus unda,
Pabula dent campi, sylvæ pastoribus umbras,
Sub quibus arguta carmen modulentur avenâ.
Quæ te cunque tenet tellus, quæcunque tenebit,
Sive per æstiferas Libyæ sitientis arenas
Pastor ages pecudes, Boreæ seu juncta nivali
Rura coles, Libycum Boreas riget imbribus axem,
Et rigor Arctous tepido mitescat ab Austro,
Et quâcunque feres gressus, tibi balsama sudet
Quercus, mella rubis, tribulisque legatur amomum,
Dum neque terra ferax mellis, neque dives amomo
Esse tibi patrio videatur amicior arvo.
Me miserum quid vana queror? procul ille remotis
Saltibus externos forsan suspirat amores.
At vos ô venti, tuque ô pulsata querelis
Aura meis toties, & amari conscia luctûs,
Partem aliquam duras Ptolemæi perfer ad aures;
Ille licet scopulis (quod non puto) durior ipsis
Fiat, & antiqui (quod nolim) oblitus amici,
Cum tamen audierit gemitus, moturaque rupes
Verba mei luctus, nostro ingemet ille dolori,
Dicet, & hic nostræ fuit admirator avenæ.
Plura locuturo vultum sub nube recondens
Tristior occiduas Phœbus descendit in undas.

DESI-

DESIDERIUM LUTETIÆ.

ECLOGA XI.

O Formosa Amarylli, tuo jam ſeptima bruma
Me procul aſpectu, jam ſeptima detinet æſtas!
Sed neque ſeptima bruma nivalibus horrida nimbis,
Septima nec rapidis candens fervoribus æſtas
Extinxit vigiles noſtro ſub pectore curas.
Tu mihi mane novo carmen, dum roſcida tondet
Arva pecus, medio tu carmen ſolis in æſtu,
Et cum jam longas præceps nox porrigit umbras,
Nec mihi quæ tenebris condit nox omnia, vultus
Eſt potis occultare tuos, te nocte ſub atrâ
Alloquor, amplector, falsâque in imagine ſomni
Gaudia ſollicitam palpant evanida mentem.
At cum ſomnus abit, curis cum luce renatis
Tecta miſer fugio, tanquam mihi tecta doloris
Semina ſubjiciant, & ſolis mœſtus in agris,
Qua vagus error agit, feror, & deſerta querelis
Antra meis, ſylvaſque & conſcia ſaxa fatigo.
Sola meos planctus Echo miſerata gementi
Adgemit, & quoties ſuſpiria pectore duco,
Hæc quoque vicino toties ſuſpirat ab antro.
Sæpè ſuper celſæ prærupta cacumina rupis
In mare proſpiciens, ſpumantia cærula demens
Alloquor, & ſurdis tracto irrita vota procellis:
O mare! quæque maris vitreas, Nereïdes, undas
Finditis, in veſtros placidæ me admittite portus:
Aut hoc ſi nimium eſt, nec naufragus ire recuſo,
Dummodo dilectas teneam vel naufragus oras.
O quoties dixi Zephyris properantibus illuc,
Felices pulchram viſuri Amaryllida venti,
Sic neque Pyrene duris in cotibus alas
Atterat, & veſtros non rumpant nubila curſus,

Dicite vesanos Amaryllidi Daphnidos ignes.
O quoties Euro levibus cum raderet alis
Æquora, dicebam, felix Amaryllide visâ,
Dic mihi, num meminit nostri? num mutua sentit
Vulnera? num veteris vivunt vestigia flammæ?
Ille ferox contra rauco cum murmure stridens,
Avolat irato similis, mihi frigore pectus
Congelat, exanimes torpor gravis alligat artus.
Nec me pastorum recreant solamina, nec me
Fistula, Nympharumque leves per prata choreæ,
Nec quæ capripedes modulantur carmina Panes:
Una meos sic est prædata Amaryllis amores!
Et me tympana docta ciere canora Lycisca,
Et me blanda Melænis amavit, Iberides ambæ,
Ambæ florentes annis, opibusque superbæ:
Et mihi dotales centum cum matribus agnos
Ipsi promisere patres, mihi munera matres
Spondebant clàm multa: meum nec munera pectus,
Nec nivei movere suis cum matribus agni,
Nec quas blanditias teneræ dixere puellæ,
Nec quas delicias teneræ fecere puellæ.
Quantum ver hyemem, vietum puer integer ævi,
Ter viduam Thalamis virgo matura parentem:
Quàm superat Durium Rhodanus, quàm Sequana Mundam,
Lenis Arar Sycorim, Ligeris formosus Iberum,
Francigenas inter Ligeris pulcherrimus amnes:
Tantum omnes vincit Nymphas Amaryllis Iberas.
Sæpe suos vultus speculata Melænis in undâ
Composuit, pinxitque oculos, finxitque capillum,
Et voluit, simul & meruit formosa videri.
Sæpè mihi dixit, animi male perdite Daphni,
Cui tibi longinquos libet insanire furores?
Et quod ames dare nostra potest tibi terra, racemos
Collige purpureos, & spes ne concipe lentas.
Sæpè choros festos me prætereunte Lycisca
Cernere dissimulans vultusque aversa canebat,

Hæc,

Hæc, pedibus terram, & manibus cava tympana pulsans:
Et Nemesis gravis ira, atque irritabile numen,
Et Nemesis læsos etiam punitur amores.
Vidi ego dum leporem venator captat, echinum
Spernere, post vanos redeuntem deinde labores,
Vespere nec retulisse domum leporem, nec echinum.
Vidi ego qui Mullum peteret piscator, & arctis
Retibus implicitam tincam sprevisset opimam,
Vespere nec retulisse domum Mullum, neque tincam.
Vidi ego qui calamos crescentes ordine risit
Pastor arundineos, dum torno rasile buxum
Frustra amat, intereà calamos, quos riserat, alter
Pastor habet, fragiles contentum inflare cicutas.
Sic solet immodicos Nemesis contundere fastus.
Hæc & plura Melænis, & hæc & plura Lycisca
Cantabant surdas frustra mihi semper ad aures.
Sed canis ante lupas, & taurus diliget ursas,
Et vulpem lepores, & amabit dama leænas,
Quam vel tympana docta ciere canora Lycisca
Mutabit nostros vel blanda Melænis amores.
Et priùs æquoribus pisces, & montibus umbræ,
Et volucres deerunt sylvis, & murmura ventis,
Quam mihi discedent formosæ Amaryllidos ignes:
Illa meum rudibus succendit pectora flammis,
Finiet illa meos moriens morientis amores.

SELECTA POEMATA ITALORUM.

PARS II.

HIERONYMI FRACASTORII

Siphylis, sive Morbus Gallicus.

AD P. BEMBUM. LIB. I.



UI casus rerum varii, quæ semina morbum
Insuetum, nec longa ulli per sæcula visum
Attulerint: nostrâ qui tempestate per omnem
Europam, partimque Asiæ, Libyæque per urbes
Sæviit; in Latium verò per tristia bella
Gallorum irrupit; nomenque à gente recepit.
Nec non & quæ cura; & opis quid comperit usus;
Magnaque in angustis hominum solertia rebus;
Et monstrata Deûm auxilia, & data munera cœli,
Hinc canere, & longè secretas quærere causas
Aera per liquidum, & vasti per sydera Olympi
Incipiam: dulci quando novitatis amore
Correptum, placidi Naturæ suavibus horti
Floribus invitant; & amantes mira Camœnæ.
BEMBE decus clarum Ausoniæ, si forte vacare
Consultis Leo Te à magnis paulisper, & altâ
Rerum mole sinit, totum qua sustinet orbem;
Et juvat ad dulces paulum secedere Musas;

Ne

Ne nostros contemne orsus, medicumque laborem;
Quicquid id est, Deus hæc quondam dignatus Apollo est:
Et parvis quoque rebus inest sua sæpe voluptas.
Scilicet hâc tenui rerum sub imagine multum
Naturæ, fatique subest, & grandis origo.
Tu mihi quæ rerum causas, quæ sydera noscis,
Et coeli effectus varios, atque aeris oras
Uranie, (sic dum puro spatiaris Olympo,
Metirisque vagi lucentes ætheris ignes;
Concentu tibi divino cita sydera plaudant)
Ipsa ades; & mecum placidas Dea lude per umbras:
Dum tenues auræ, dum myrtea sylva canenti
Aspirat, resonatque cavis Benacus ab antris.
Dic Dea quæ causæ nobis post sæcula tanta
Insolitam peperere luem: Num tempore ab illo
Vecta mari occiduo, nostrum pervenit in orbem;
Ex quo lecta manus solvens de littore Ibero
Ausa fretum tentare, vagique incognita ponti est
Æquora, & orbe alio positas perquirere terras?
Illic namque ferunt, æternâ labe per omnes
Id morbi regnare urbes, passimque vagari
Perpetuo coeli vitio; atque ignoscere paucis.
Commercîne igitur causâ accessisse putandum est
Delatam contagem ad nos; quæ parva sub ipsis
Principiis, mox & vires & pabula sensim
Suscipiens, sese in terras diffuderit omnes?
Ut sæpe in stipulas cecidit quum forte favilla
De face, neglectam pastor quam liquit in arvo.
Illa quidem tenuis primùm similisque moranti
Incedit: mox ut paulatim increvit eundo,
Tollitur; & victrix messem populatur, & agros,
Vicinumque nemus, flammasque sub æthera jactat:
Dat sonitum longè crepitans Jovis avia sylva;
Et coelum latè circum, campique relucent.
At verò, si ritè fidem observata merentur,
Non ita censendum: nec certè credere par est

Esse peregrinam nobis, transque æquora vectam
Contagem: quoniam in primis ostendere multos
Possumus, attactu qui nullius hanc tamen ipsam
Sponte suâ sensere luem, primique tulere.
Præterea & tantum terrarum tempore parvo
Contages non una simul potuisset obire.
Aspice per Latii populos, quique herbida Sagræ
Pascua, & Ausonios saltus, & Japygis oræ
Arva colunt: specta Tyberis qua labitur, & quà
Eridanus centum fluviis comitatus in æquor,
Centum urbes rigat, & placidis interfluit undis.
Uno nonne vides ut tempore pestis in omnes
Sæviit? ut sortem pariter transegimus unam?
Quinetiam externos eadem per tempora primum
Excepisse ferunt: nec eam cognovit Ibera
Gens prius, ignotum quæ scindere puppibus æquor
Ausa fuit; quam quos disterminat alta Pyrene,
Atque freta, atque Alpes cingunt, Rhenusque bicornis:
Quam reliqui, quos lata tenet gelida ora sub Arcto.
Tempore non alio Pœni sensistis, & omnes
Qui lætam Ægyptum metitis fœcundaque Nilo
Arva; & palmiferæ sylvas tondetis Idumes,
Quæ quum sic habeant sese, nempe altius isti
Principium labi, rerumque latentior ordo,
(Ni fallor) graviorque subest, & major origo.
Principio quæque in terris, quæque æthere in alto,
Atque mari in magno, Natura educit in auras:
Cuncta quidem nec sorte una, nec legibus iisdem
Proveniunt: sed enim quorum primordia constant
E paucis, crebrò ac passim pars magna creantur.
Rarius ast alia apparent, & non nisi certis
Temporibusve, locisve: quibus violentior ortus,
Et longè sita principia: ac nonnulla, priusquam
Erumpant tenebris & opaco carcere noctis,
Mille trahunt annos; spatiosaque sæcula poscunt.
Tantâ vi coeunt genitalia semina in unum.

Ergo

Ergo & morborum quoniam non omnibus una
Naſcendi eſt ratio, facilis pars maxima viſu eſt;
Et faciles ortus habet & primordia præſto.
Rarius emergunt alii; & poſt tempore longo
Difficiles cauſas, & inextricabile fatum
Et ſerò potuere altas ſuperare tenebras.
Sic elephas ſacer Auſoniis incognitus oris,
Sic Lichen latuere diu: quibus accola Nili
Gens tantum, regioque omnis vicina laborat.
De genere hoc eſt dira lues, quæ nuper in auras
Exiit; & tandem ſeſe caligine ab atrâ
Exemit; duroſque ortus, & vincula rupit.
Quam tamen (æternum quoniam dilabitur ævum)
Non ſemel in terris viſam, ſed ſæpe fuiſſe,
Ducendum eſt; quanquam nobis nec nomine nota
Hactenus illa fuit: quoniam longæva vetuſtas
Cuncta ſitu involvens, & res, & nomina delet:
Nec monumenta patrum ſeri videre nepotes.
Oceano tamen in magno ſub Sole cadente
Qua miſera inventum nuper gens incolit orbem,
Paſſim oritur; nulliſque locis non cognita vulgo eſt.
Uſque adeò rerum cauſæ, atque exordia prima,
Et cœlo variare, & longo tempore poſſunt.
Quodque illic fert ſponte aer, & idonea tellus,
Huc tandem annorum nobis longa attulit ætas.
Cujus forte ſuo ſi cunctas ordine cauſas
Noſſe cupis: magni primum circumſpice mundi
Quantum hoc infecit vitium; quot adiverit urbes.
Quumque animadvertas, tam vaſtæ ſemina labis
Eſſe nec in terræ gremio, nec in æquore poſſe:
Haud dubiè tecum ſtatuas, reputeſque neceſſe eſt,
Principium, ſedemque mali conſiſtere in ipſo
Aere, qui terras circum diffunditur omnes:
Qui nobis ſeſe inſinuat per corpora ubique,
Suetus & has generi viventum immittere peſtes.
Aer quippe pater rerum eſt, & originis autor.

Idem ſæpe graves morbos mortalibus affert,
Multimodè natus tabeſcere corpore molli,
Et facile affectus capere, atque inferre receptos.
Nunc vero quonam ille modo contagia traxit,
Accipe: quid mutare queant labentia ſecla.
In primis tum Sol rutilus, tum ſydera cuncta
Tellurem, liquidaſque auras, atque æquora ponti
Immutant, agitantque: utque ipſo ſydera cœlo
Mutavere vicem, & ſedes liquere priores;
Sic elementa modis variis ſe grandia vertunt.
Aſpice ut hibernus rapidos ubi flexit in Auſtrum
Phœbus equos; noſtrumque videt depreſſior orbem:
Bruma riget; duratque gelu, ſpargitque pruinâ
Tellurem: & gelida glacie vaga flumina ſiſtit.
Idem, ubi nos Cancro propior ſpectavit ab alto,
Urit agros; arent nemora, & ſitientia prata:
Siccaque pulvereis æſtas ſqualeſcit in arvis.
Nec dubium, quin & noctis nitor, aurea Luna,
Cui maria alta, omnis cui rerum obtemperat humor:
Quin & Saturni grave ſydus, & æquior orbi
Stella Jovis, quin pulchra Venuſque, & Martius ignis,
Ac reliqua aſtra etiam mutent elementa, trahantque
Perpetuum; & latè magnos dent undique motus.
Præcipuè ſedem ſi quando plurima in unam
Convenere: ſuo vel multùm devia curſu
Longè alias tenuere vias: hæc ſcilicet annis
Pluribus, & rapidi poſt multa volumina cœli
Eveniunt: Diis fata modis volventibus iſtis.
Ut vero eveniſſe datum eſt; numerumque dieſque
Exegere ſuos, præfixaque tempora fatis:
Proh! quanta aerios tractus, ſalſa æquora quanta,
Telluremque manent? alibi quippe omnia latè
Cogentur ſpatia in nubes: cœlum imbribus omne
Solvetur: ſummiſque voluti montibus amnes
Præcipites ſecum ſylvas, ſecum aſpera ſaxa,
Secum armenta trahent: medius pater impete magno
Aut

Aut Padus, aut Ganges ſuper & nemora alta, domoſque
Turbidus, æquabit pelago freta lata ſonante.
Æſtates alibi magnæ condentur: & ipſæ
Flumina ſpeluncis flebunt arentia nymphæ.
Aut venti cuncta invertent: aut obice clauſi
Excutient tellurem imam, & cum turribus urbes.
Forſitan & tempus veniet, poſcentibus olim
Naturâ, fatiſque Deum, quum non modo tellus
Nunc culta, aut obducta mari, aut deſerta jacebit:
Verum etiam Sol ipſe, novum (quis credere poſſit)
Curret iter: ſua nec per tempora diffluet annus.
Aſt inſueti æſtus, inſuetaque frigora mundo
Inſurgent; & certa dies animalia terris
Monſtrabit nova: naſcentur pecudeſque, feræque
Sponte ſuâ; primâque animas ab origine ſument.
Forſitan & majora audens producere Tellus
Cæumque, Enceladumque feret, magnumque Typhoëa,
Auſuros patrio ſuperos detrudere cœlo:
Convulſumque Oſſam nemoroſo imponere Olympo.
Quæ cum perſpicias, nihil eſt cur tempore certo
Admirere, novis magnum marceſſere morbis
Aera: contageſque novas viventibus ægris
Sydere ſub certo fieri, & per ſæcula longa.
Bis centum fluxere anni, quum flammea Marte
Lumina Saturno triſti immiſcente, per omnes
Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges,
Inſolita exarſit febris: quæ pectore anhelo
Sanguineum ſputum exagitans (miſerabile viſu)
Quartâ luce frequens fato perdebat acerbo.
Illa eadem Aſſyriæ gentes, & Perſidos, & quæ
Euphratem, Tigrimque bibunt: poſt tempore parvo
Corripuit, diteſque Arabas, mollemque Canopum,
Inde Phrygas; inde & miſerum trans æquora vecta
Infecit Latium, atque Europâ ſæviit omni.
Ergo age jam mecum, ſemper ſeſe æthera circum
Volventem, ſuperumque domos, ardentiaque aſtra

Contem-

Contemplare; animumque agitans per cuncta, require
Quis ſtatus illorum fuerit: quæ ſigna dedere
Sydera: quid noſtris cœlum portenderit annis.
Hinc etenim tibi forte novæ contagis origo
Omnis, & eventus tanti via prima pateſcet.
Aſpice candentes magni quà Cancer Olympi
Excubat ante fores; & brachia pandit aperta.
Hinc diræ facies, hinc ſe diverſa malorum
Oſtendunt portenta: unâ hâc ſub parte videbis
Magna coiſſe ſimul radiis ardentibus aſtra:
Et conjuratas ſparſiſſe per aera flammas:
Flammas, quas longè tumulo Sirenis ab alto
Proſpiciens ſenior vates, quem dia per omnes
Cœlicolumque domos duxit, docuitque futura
Uranie: miſeras, inquit, defendite terras
O ſuperi, inſolitam video per inania ferri
Illuviem; & magnos cœli tabeſcere tractus.
Bella etiam Europæ miſeræ, bella impia, & agros
Auſoniæ, paſſim currentes ſanguine cerno.
Dixit: & illa etiam ſcriptis ventura notavit.
Mos ſuperum eſt ubi ſecla vagus ſol certa peregit,
Ab Jove decerni fata: & cuncta ordine pandi,
Quæcunque eventura manent terraſque, polumque.
Quod tempus quum jam noſtris venientibus annis
Inſtaret: rerum ſummus ſator, & ſuperum rex
Jupiter, acciri ſocios in rebus agendis
Saturnum, Martemque jubet: bipatentia Cancer
Limina portarum reſerat; Diiſque atria pandit.
Conveniunt, quibus eſt fatorum cura gerenda.
Impiger ante alios flammis, ferroque coruſcans
Belli potens Mavors: animis cui prælia, & arma,
Vindictæque manent, & ovantes ſanguine cædes.
Poſt placidus curru invectus rex Jupiter aureo
Inſequitur (ni fata obſtent) pater omnibus æquus.
Poſtremus, longâque viâ tardatus, & annis
Falcifer accedit Senior: qui haud immemor iræ

In natum veteris, nato & parere recuſans
Sæpe etiam ceſſit retro; & veſtigia torſit,
Multa minans, multumque animo indignatus iniquo.
Jupiter at ſolio ex alto, quo ſe ſolet uno
Tollere, percenſet fata, & ventura reſolvit,
Multum infœlicis miſerans incommoda terræ:
Bellaque, fortunaſque virûm, caſuraque rerum
Imperia, & prædas, adapertaque limina morti:
In primis ignota novi contagia morbi:
Morbi, qui humanæ nullâ manſueſcat opis vi.
Aſſenſere Dei reliqui: concuſſus Olympus
Intremuit; tactuſque novis defluxibus æther.
Paulatim aerii tractus, & inania lata
Accepere luem: vacuaſque inſuetus in auras
Marcor iit: cœlumque tulit contagia in omne.
Sive quod ardenti tot concurrentibus aſtris
Cum ſole, è pelago multos terrâque vapores
Traxerit ignea vis; qui miſti tenuibus auris
Correptique novo vitio, contagia viſu
Perrara attulerint: aliud ſive æthere ab alto
Demiſſum, late aërias corruperit oras.
Quanquam animi haud fallor quid agat, quove ordine cœlum,
Dicere, & in cunctis certas perquirere cauſas,
Difficile eſſe: adeo interdum per tempora longa
Effectus trahit: interdum (quod fallere poſſit)
Miſcentur fors, & varii per ſingula caſus.
Nunc age non id te lateat: ſuper omnia miram
Naturam, & longè variam contagibus eſſe.
Solis nam ſæpe arboribus fit noxius aer:
Et tenerum germen, florumque infecit honorem.
Interdum ſegetem, & ſata læta, annique labores
Corripuit: ſcabraque uſſit rubigine culmos:
Et vitiata parens produxit ſemina Tellus.
Interdum pœnas animalia ſola dedere.
Aut multa, aut certa ex ipſis. Memini ipſe malignam
Luxuriem

Luxuriem vidiſſe anni: multoque madentem
Autumnum perflatum auſtro: quo perditus omne
Caprigenum genus è cunctis animantibus unum
Corruit. A ſtabulis lætas ad pabula paſtor
Ducebat; tum forte altâ ſecurus in umbrâ
Dum caneret; tenuique gregem mulceret avenâ:
Ecce aliquam tuſſis ſubito irrequieta tenebat:
Nec longè mora mortis erat; namque acta repente
Circum præcipiti lapſu, revomenſque ſupremam
Ore animam, ſocias inter moribunda cadebat.
Vere autem (dictu mirum) atque æſtate ſequenti
Infirmas pecudes, balantumque horrida vulgus
Peſtis febre malâ miſerum penè abſtulit omne.
Uſque adeò varia affecti ſunt ſemina cœli,
Et variæ rerum ſpecies: numeruſque viciſſim
Inter mota ſubeſt, interque moventia certus.
Nonne vides, quamvis oculi ſint pectore anhelo
Expoſiti, molleſque magis; uon attamen ipſos
Carpere tabem oculos, ſed ſeſe immergere in imum
Pulmonem? & pomis quanquam ſit mollior uva;
Non tamen iis vitiatur; at ipſâ livet ab uvâ.
Nempe alibi vires, alibi ſua pabula deſunt:
Aſt alibi mora certa: nec ipſa foramina multum
Non faciunt, hinc denſa nimis, nimis inde ſoluta.
Ergo contagum quoniam natura, genuſque
Tam varium eſt: & multa modis ſunt ſemina miris:
Contemplator & hanc, cujus cœleſtis origo eſt:
Quæ, ſicut deſueta, ita mira erupit in auras.
Illa quidem non muta maris, turbamque natantum,
Non volucres, non bruta altis errantia ſylvis,
Non armenta boum, pecudeſve, armentave equorum
Infecit: ſed mente vigens ex omnibus unum
Humanum genus: & noſtros eſt paſta ſub artus.
Porro homine è toto, quod in ipſo ſanguine craſſum
Et ſordens lentore foret, fœdiſſima primum
Corripuit, ſeſe paſcens uligine pingui.

Tali ſe morbus ratione & ſanguis habebant.
Nunc ego te affectus omnes, & ſigna docebo
Contagis miſeræ. Atque utinam concedere tantum
Muſa queat: tantumque velit defendere Apollo,
Tempora qui longa evolvit, cui carmina curæ:
Hæc multos monumenta dies ut noſtra ſuperſint.
Forte etenim noſtros olim legiſſe nepotes,
Et ſigna & faciem peſtis noviſſe, juvabit.
Namque iterum, quum fata dabunt, labentibus annis
Tempus erit, quum nocte atrâ ſopita jacebit
Interitu data: mox iterum poſt ſæcula longa
Illa eadem exurget: cœlumque auraſque, reviſet:
Atque, iterum ventura illam mirabitur ætas.
In primis mirum illud erat: quod labe receptâ,
Sæpe tamen quater ipſa ſuum compleverat orbem
Luna prius, quam ſigna ſatis manifeſta darentur.
Scilicet extemplo non ſeſe prodit aperte,
Ut ſemel eſt excepta intus: ſed tempore certo
Delitet: & ſenſim vires per pabula captat.
Interea tamen inſolito torpore gravati,
Sponteque languentes animis, & munera obibant
Ægrius: & toto ſegnes ſe corpore agebant.
Ille etiam ſuus ex oculis vigor, & ſuus ore
Dejectus color haud lætâ de fronte cadebat.
Paulatim caries fœdis enata pudendis
Hinc atque hinc invicta locos, aut inguen edebat.
Tum manifeſta magis vitii ſe prodere ſigna.
Nam ſimul ac puræ fugiens lux alma diei
Ceſſerat; & noctis triſtes induxerat umbras:
Innatuſque calor noctu petere intima ſuetus
Liquerat extremum corpus: nec membra fovebat
Obſita mole pigrâ humorum: tum vellier artus
Brachiaque, ſcapulæque, gravi ſuræque dolore.
Quippe ubi per cunctas ierant contagia venas:
Humoreſque ipſos, & nutrimenta futura
Polluerant: natura malum ſecernere ſueta

Infectam partem pellebat corpore ab omni
Exterius; verum crasso quia corpore tarda
Hæc erat, & lentore tenax; multa inter eundum
Hærebat membris exanguibus, atque lacertis:
Inde graves dabat articulis extenta dolores.
Parte tamen leviore, magisque erumpere nata,
Summa cutis, pulsa, & membrorum extrema petebat.
Protinus informes totum per corpus achores
Rumpebant; faciemque horrendam, & pectora fœdè
Turpabant; species morbi nova: pustula summæ
Glandis ad effigiem, & pituitâ marcida pingui.
Tempore quæ multo non post adaperta dehiscens,
Mucosà multum sanie, taboque fluebat.
Quin etiam erodens altè, & se funditus abdens
Corpora pascebat misere. Nam sæpius ipsi
Carne suâ exutos artus, squallentiaque ossa
Vidimus, & fœdo rosa ora dehiscere hiatu,
Ora, atque exiles reddentia guttura voces.
Tum sæpe aut cerasis, aut Phyllidis arbore tristi,
Vidisti pinguem ex udis manare liquorem
Corticibus, mox in lentum durescere gummi.
Haud secus hâc sub labe solet per corpora mucor
Diffluere: hinc demum in turpem concrescere callum.
Unde aliquis ver ætatis, pulchramque juventam
Suspirans, & membra oculis deformia torvis
Prospiciens, fœdosque artus, turgentiaque ora,
Sæpe Deos, sæpe astra miser crudelia dixit.
Interea dulces somnos, noctisque soporem
Omnia per terras animalia fessa trahebant:
Illis nulla quies aderat: sopor omnis in auras
Fugerat: iis oriens Aurora ingrata rubebat:
Iis inimica dies: inimicaque noctis imago.
Nulla Ceres illos, Bacchi non ulla juvabant
Munera: non dulces epulæ: non copia rerum:
Non urbis, non ruris opes, non ulla voluptas.
Quamvis sæpe amnes nitidos, jucundaque Tempe,

Et

Et placidas summis quæsissent montibus auras.
Diis etiam sparsæque preces; incensaque templis
Thura, & divitibus decorata altaria donis:
Dii nullas audire preces: donisve moveri.
Ipse ego Cœnomanum memini quà pinguia dives
Pascua Sebinâ præterfluit Ollius undâ,
Vidisse insignem juvenem: quo clarior alter
Non fuit, Ausoniâ nec fortunatior omni:
Vix pubescentis florebat vere juventæ,
Divitiis, proavisque potens, & corpore pulchro.
Cui studia, aut pernicis equi compescere cursum:
Aut galeam induere, & pictis splendescere in armis:
Aut juvenile gravi corpus durare palæstrâ:
Venatuque feras agere, & prævertere cervos.
Illum omnes Olliquae Deæ, Eridanique puellæ
Optarunt, nemorumque Deæ, rurisque puellæ:
Omnes optatos suspiravere hymenæos.
Forsan & ultores superos neglecta vocavit
Non nequicquam aliqua, & votis pia numina movit.
Nam nimium fidentem animis, nec tanta timentem
Invasit miserum labes, quâ sævior usquam
Nulla fuit: nulla unquam aliis spectabitur annis.
Paulatim ver id nitidum, flos ille juventæ
Disperiit: vis illa animi: tum squallida tabes
Artus (horrendum) miseros obduxit: & altè
Grandia turgebant fœdis abscessibus ossa.
Ulcera (proh! Divum pietatem) informia pulchros
Pascebant oculos, & diæ lucis amorem:
Pascebantque acri corrosas vulnere nares.
Illum Alpes vicinæ, illum vaga flumina flerunt,
Illum omnes Olliquae Deæ, Eridanique puellæ
Fleverunt: nemorumque Deæ rurisque puellæ:
Sebinusque alto gemitum lacus edidit amne.
  Ergo hanc per miseras terras Saturnus agebat
Pestem atrox: nec sæva minus crudelis & ipse
Miscebat Mavors: conjunctaque fata ferebat.

Quippe lue hac nascente, putem simul omnia diras
Eumenidas cecinisse fera & crudelia nobis.
Tartareos etiam barathro (dira omina) ab imo
Excivisse lacus: Stygiâque ab sede laborem,
Pestemque, horribilemque famem, bellumque, necemque.
Dii patrii, quorum Ausonia est sub numine: tuque
Tu Latii Saturne pater, quid gens tua tantum
Est merita? an quicquam superest dirique gravisque,
Quod sit inexhaustum nobis? ecquod genus usquam
Aversum usque adeo cœlum tulit? ipsa labores
Parthenope dic prima tuos: dic funera regum,
Et spolia, & prædas, captivaque colla tuorum.
An stragem infandam memorem, sparsumque cruorem
Gallorumque, Italúmque pari discrimine: quum jam
Sanguineum, & defuncta virûm, defunctaque equorum
Corpora volventem, cristasque atque arma trahentem
Eridanus pater acciperet rapido agmine Tarrum?
Te quoque spumantem, & nostrorum cæde tumentem
Abdua, non multo post tempore, te pater idem
Eridanus gremio infelix suscepit: & altum
Indoluit tecum: & fluvio solatus amico est.
Ausonia infelix! en quo discordia priscam
Virtutem, & mundi imperium perduxit avitum.
Angulus anne tui est aliquis; qui barbara non sit
Servitia, & prædas, & tristia funera passus?
Dicite vos, nullos soliti sentire tumultus,
Vitiferi colles, quà flumine pulcher amœno
Erethenus fluit: & plenis lapsurus in æquor
Cornibus, Euganeis properat se jungere lymphis.
O patria, ô longum felix, longumque quieta
Ante alias patria, ô Divum sanctissima tellus,
Dives opum, fœcunda viris, lætissima campis
Uberibus, rapidoque Athesi, & Benacide lympha,
Ærumnas memorare tuas, summamque malorum
Quis queat? & dictis nostros æquare dolores,
Et turpes ignominias, & barbara jussa?

Abde

Abde caput Benace; tuo & te conde sub amne:
Victrices nec jam Deus interlabere lauros.
En etiam, ceu nos agerent crudelia nulla:
Nec lacrymæ, planctusve forent: en dura tot inter,
Spes Latii, spes & studiorum, & Palladis illa
Occidit. Ereptum Musarum è dulcibus ulnis
Te miserum ante diem crudeli funere Marce
Antoni, ætatis primo sub flore cadentem
Vidimus extremâ positum Benacide ripâ:
Quam media inter saxa sonans Sarca abluit unda.
Te ripæ flevere Athesis: te voce vocare
Auditæ per noctem umbræ, manesque Catulli:
Et patrios mulcere novâ dulcedine lucos.
Tempestate illâ Ausoniam rex Gallus opimam
Vertebat bello: & Ligurem ditione premebat.
Parte aliâ Cæsar ferro superabat, & igni
Euganeos, placidumque Silim, Carnumque rebellem:
Et totum luctus Latium, mœrorque tenebat.

Nunc age quæ vitæ ratio, quæ cura adhibenda
Perniciem adversus tantam: quid tempore quoque
Conveniat (nostri quæ pars est altera cœpti)
Expediam: & miranda hominum comperta docebo.
Quippe novâ quum re attoniti, multa irrita primum
Tentassent: tamen angustis solertia major
In rebus, crescensque usu experientia longo
Evicere: datumque homini protendere longe
Auxilia: & certis pestem compescere vinclis:
Victorem & sese claras attollere in auras.
Credo equidem & quædam nobis divinitus esse
Inventa; ignaros fatis ducentibus ipsis.
Nam quanquam fera tempestas, & iniqua fuerunt
Sydera: non tamen omnino præsentia divum
Abfuit à nobis, placidi & clementia cœli,
Si morbum insolitum, si dura & tristia bella
Vidimus, & sparsos dominorum cæde Penates:

Oppidaque, incensasque urbes, eversaque regna:
Et templa, & raptis temerata altaria sacris:
Flumina dejectas si perrumpentia ripas
Evertere sata: & mediis nemora eruta in undis,
Et pecora, & domini, correptaque rura natarunt:
Obseditque inimica ipsas penuria terras:
Hæc eadem tamen hæc ætas (quod fata negarunt
Antiquis) totum potuit sulcare carinis
Id pelagi, immensum quod circuit Amphitrite.
Nec visum satis, extremo ex Atlante repostos
Hesperidum penetrare sinus: Prassumque sub Arcto
Inspectare alià, præruptaque littora Rhapti:
Atque Arabo advehere, & Carmano ex æquore merces:
Auroræ sed itum in populos Titanidis usque est
Supra Indum, Gangemque supra, qua terminus olim
Catygare noti orbis erat: superata Cyambe,
Et dites Ebeno, & felices Macere sylvæ.
Denique & à nostro diversum gentibus orbem,
Diversum cœlo, & clarum majoribus astris
Remigio audaci attigimus ducentibus & Diis.
Vidimus & vatem egregium, cui pulchra canenti
Parthenope, placidusque cavo Sebethus ab antro
Plauserunt, umbræque sacri manesque Maronis.
Qui magnos stellarum orbes cantavit, & hortos
Hesperidum, cœlique omnes variabilis oras.
Te vero ut taceam, atque alios, quos fama futura
Post mutos cineres, quos & venientia secla
Antiquis conferre volent: at Bembe tacendus
Inter dona Deûm nobis data non erit unquam
Magnanimus Leo: quo Latium, quo maxima Roma
Attollit caput alta: paterque ex aggere Thybris
Assurgit: Romæque fremens gratatur ovanti.
Cujus ab auspiciis jam nunc mala sydera mundo
Cessere: & læto regnat jam Jupiter orbe:
Puraque pacatum diffundit lumina cœlum.
Unus qui ærumnas post tot, longosque labores

Dulcia

Dulcia jam profugas revocavit ad otia Musas:
Et leges Latio antiquas, rectumque, piumque
Restituit: qui justa animo jam concipit arma
Pro re Romanâ, pro relligione Deorum.
Unde etiam Euphrates, etiam latè ostia Nili.
Et tantum Euxini nomen tremit unda refusi:
Atque Ægæa suos confugit Doris in Isthmos.
Ergo alii dum tanta canent: dumque illius acta
Inclyta component: dum forte accingeris & tu
Condere, & æternis victurum intexere chartis:
Nos, quos fata vocant haud tanta ad munera, lusus
Inceptos, quantum tenuis fert Musa, sequamur.
Principio, quoniam affecti non sanguinis una
Est ratio, tibi sit morbo spes major in illo,
Sanguine qui insedit puro: verum quibus atrâ
Bile tument, spissoque resultant sanguine venæ:
Major in iis labor est: pestisque tenacius hæret.
Quare operæ pretium est validis atque acribus uti
Omnibus hos contra, miseris nec parcere membris.
Quin etiam meliora sibi promittere cuncta
Ille potest, qui principiis novisse sub ipsis
Serpentem tacitè valuit per viscera labem.
Namque ubi pasta diu, vires per pabula longa
Auxerit: & jam se vitium firmaverit intra:
Heu! quanto tibi libertas speranda labore est?
Ergo omnem impendes operam, te opponere parvis
Principiis: memorique animo hæc præcepta reconde.
In primis ego non omni te assuescere cœlo
Exhorter: fuge perpetuo quod flatur ab Austro:
Quod cœno, immundæque grave est sudore paludis.
Protenti potius campi mihi liber & agri
Tractus, & apricis placeant in collibus auræ,
Et molles Zephyri, pulsusque Aquilonibus aer.
Hîc (jubeo) tibi nulla quies, nulla otia sunto.
Rumpe moras: agita assiduis venatibus apros
Impiger: assiduis agita venatibus ursos.

Nec

Nec tibi ſit labor aerii curſu ardua montis
Vincenti, rapidum in valles deflectere cervum:
Et longâ luſtrare altos indagine ſaltus.
Vidi ego ſæpe malum qui jam ſudoribus omne
Finiſſet: ſylviſque luem liquiſſet in altis.
Sed nec turpe puta dextram ſummittere aratro:
Et longum trahere incurvo ſub vomere ſulcum:
Neve bidente ſolum, & duras proſcindere glebas:
Et validâ aeriam quercum exturbare bipenni:
Atque imis altam eruere ab radicibus ornum.
Quin etiam, exercere domi quo te quoque poſſis;
Parvam mane pilam verſa mihi, veſpere verſa.
Et ſaltu, & durâ potes exudare palæſtrâ.
Vince malum; nec te fallat, quod deſidis oti
Aſſiduè deſiderium, lectique ſequatur.
Tu lecto ne crede, gravi ne crede ſopori.
His alitur vitium: & placidè ſub imagine pacis
Decipit: è dulcique trahit fomenta quiete.
Nec non intereà effugito quæ triſtia mentem
Sollicitant: procul eſſe jube curaſque, metumque
Pallentem, ultriceſque iras, omnemque Minervæ
Addictum ſtudiis animum: ſed carmina, ſed te
Delectent juvenumque chori, miſtæque puellæ:
Parce tamen Veneri; molleſque ante omnia vitæ
Concubitus; nihil eſt nocuum magis, odit & ipſa
Pulchra Venus: teneræ contagem odere puellæ.
Quod ſequitur: victus ratio tibi maxima habenda eſt:
Nec ſit cura tibi, neve obſervantia major.
Principio, quoſcunque amnes, quoſcunque paludes,
Quoſque lacus liquidi paſcunt, quoſque æquora piſces,
Omne genus procul amoveo. Sunt quos tamen uſus
Liberius, quam res cogit, concedere poſſit.
Omnibus his eſt alba caro, non dura, tenaxque:
Quos petræ, & fluviorum adverſa, mariſque fatigant.
Tales nant pelago Phycides, rutilæque per undas
Auratæ, Gobique, & amantes ſaxea Percæ.

Talis

Talis dulcifluum fluviorum Scarus ad ora
Solus ſaxa inter depaſtas ruminat herbas.
Sed neque quæ ſtagnis volucres, quæque amnibus altis
Degere amant, liquidiſque cibum perquirere in undis,
Laudarim: tibi pinguis Anas, tibi crudior Anſer
Vitetur: potiuſque vigil Capitolia ſervet;
Viteturque gravi coturnis tarda ſaginâ.
Tu teneros lactes, tu paridæ abdomina Porcæ,
Porcæ heu terga fuge: & lumbis ne veſcere aprinis:
Venatu quamvis toties confeceris Apros.
Quin neque te crudus Cucumis, non tubera captent:
Neve famem Cinarâ, Bulbiſve ſalacibus exple.
Non placeat mihi lactis amor: non uſus aceti:
Non fumoſa mero ſpumantia pocula Baccho,
Qualia Cyrnæi colles, campique Falerni
Et Pucinus ager mittunt: aut qualia noſtris
Rhetica dat parvo de collibus uva racemo.
Nempe Sabina magis placeant: dilutaque tellus
Quæ tulit: & multo domuerunt Naiades amne.
At tibi, ſi ex horto victus, menſæque Deorum
Sunt animo: atque olerum ſimplex & inempta voluptas:
Non Mentæ virides, non læta Siſymbria deſunt,
Intybaque, & toto florentes frigore Sonchi,
Et Sia fontanis ſemper gaudentia rivis,
Et Thymbræ ſuaves, & odoriferæ Calaminthæ;
Læta Meliphylla, & riguo Bugloſſus ab horto
Carpantur: pleniſque ferax Erucula palmis,
Atque olus, atque Rumex, & ſalſi gramina Crithmi.
Ipſa Lupum dumeta ferent: hinc collige primos
Aſparagos, albæ aſparagos hinc collige vitis,
Quum nondum explicuit ramos: umbracula nondum
Texuit, & virides juſſit pendere corymbos.
Singula ſed longum eſt, nec percenſere neceſſe.
Jamque aliud vocor ad munus: juvat in nova Muſas
Naturæ nemora Aoniis deducere ab umbris:
Unde mihi ſi non è lauro intexere fronti

Serta volent: tantâque caput cinxisse coronâ:
At saltem ob servata hominum tot millia, dignum
Censuerint quernâ redimiri tempora fronde.
Vere novo, si quem morbus tenet: aut & in ipso
Autumno, si firma ætas: si sanguis abundat,
Regalem, mediámve lacerti incidere venam
Proderit, atque extra fœdatum haurire cruorem.
Præterea, quocunque habeat te tempore pestis:
Corruptum humorem, & contagem educere turpem
Ne pigeat, facilique luem deponere ab alvo.
Ante tamen ducenda para: concreta resolve:
Et crassa attenua: & lentore tenacia frange.
Ergo Coryciumque Thymum sit cura, Thymumque
Pamphylium, Thymbræ similis qui durior exit:
Prima tibi coxisse, Lupique volubile gramen,
Fœniculumque, Apiumque, & amari germina Capni.
His Polyporum hirtos imitata Filicula cirrhos
Additur, & nymphis tangi renuens Adiantus:
His sterile Asplenum, his pictam Phyllitida junge.
Quorum ubi decoctum permultis ante diebus
Ebiberis, crudumque humorem incoxeris omnem:
Tum Scyllâ medicare acri, & Colocyntide amarâ.
Helleboroque gravi: nec non quæ in littore surgens,
Quâ ludit maris unda, ter evariata colorem,
Ter flores mutata die, rem homine signat,
Herba potens radice: suum cui zinziber adde:
Adde etiam anguineum Cucumin, Nabatheaque Thura,
Myrrhamque, Bdelamque, Hammoniacique liquorem,
Et lacrymam Panaceam, & dulci Colchica bulbo.
His actis, si forte tibi frigentia corda,
Et molles animi fuerint: nec acerba placebit
In primis tentare; brevique extinguere pestem:
Sed placidis agere, & per tempora lenibus uti.
Tum superest tibi cura animum ad fomenta relicta
Vertere, contagisque ad tenuia semina cæcæ:
Illa quidem consueta modis inserpere miris.

Profu-

Profuerint igitur quæque exſiccantia, quæque
Marcori reſinoſa ſolent obſiſtere putri.
Tales ſunt Myrrhæ lacrymæ: ſunt talia Thura,
Cedruſque, Aſpalathuſque, immortaliſque Cupreſſus,
Et bene cum Calamo ſpirans redolente Cyperus.
Ergo nec deſint Caſiæ, nec deſit Amomum,
Macerve, Aggalocumve tibi, nec Cinnama odora.
Eſt etiam in pratis illud, juxtaque paludes
Scordion, omnigenis quod tantum obſtare venenis,
Contagique ſolet: parvo quærenda labore
Herba tibi, viret ipſa comis imitata Chamædryn,
Flore rubens, referenſque Alli cum voce ſaporem.
Aurorâ naſcente hujus frondemque comantem
Radiceſque coque: atque hauſtu te proluе largo.
Sed neque carminibus neglecta ſilebere noſtris
Heſperidum decus, & Medarum gloria Citre
Sylvarum: ſi forte ſacris cantata Poetis
Parte quoque hâc medicam non dedignabere Muſam.
Sic tibi ſit ſemper viridis coma, ſemper opaca,
Semper flore novo redolens: ſis ſemper onuſta
Per viridem pomis ſylvam pendentibus aureis.
Ergo ubi nitendum eſt cæcis te opponere morbi
Seminibus: vi mira arbor Cithereia præſtat.
Quippe illam Citherea, ſuum dum plorat Adonim,
Munere donavit multo: & virtutibus auxit.
Quorundam inventum eſt, vitrei inter concava vaſis,
Cui collum oblongum eſt; venter turgeſcit in orbem;
Aut Hederæ folia, aut Idâ mittente maniplos
Dictami, Illyricamve Irim, Thamnive nigrantem
Radicem, aut Inulas coquere: in ſublime ſolutus
Effertur vapor: & tenuis vacua omnia complet:
Aſt, ubi frigenti occurſavit ab aere vitro,
Cogitur, & rorem liquidus denſatur in udum,
Decurritque vagis per aperta canalia rivis:
Deſtillantis aquæ cyathum ſub lumina prima
Luciferi potare jubent, ſtratiſque parare

Sudo-

Sudorem: nec certe ab re: vis utilis olli est,
Relliquias tenues morbi dispergere in auras.
Intereà si membra dolor convulsa malignus
Torqueat, Æsypo propera lenire dolorem,
Mastichinoque oleo: lentum quibus anseris unguen,
Emulsumque potes Lini de semine mucum,
Narcissumque, Inulamque, liquentiaque addere mella,
Coryciumque Crocum, & vilem componere Amurcam.
At fauces, atque ora malus si eroserit Herpes:
Tange Nitro, & viridi medicatâ Ærugine lymphâ:
Semina, inure mala, & serpentem interfice pestem.
Verum ipsos ope non aliâ consumere Achores
Urentum quam vi poteris: quibus addere debes
Pingue aliquid, quod secum intus siccantia portet.
Hæc eadem &, miseros artus si qua ulcera pascunt,
Tollere, concretosque valebunt solvere callos.
Si vero aut hæc nequicquam tentasse videbis:
Aut vires, animique valent ad fortia quæque:
Nec differre cupis, quin te committere acerbis
Festines, diramque brevi consumere pestem:
Hinc alia inventa expediam: quæ tristia quanto
Sunt magis, hoc tanto citius finire labores,
Ærumnasque mali poterunt. Quippe effera labes
Inter prima tenax, & multo fomite vivax
Nedum se haud vinci placidis, & mitibus, at nec
Tractari finit, & mansuescere dura repugnat.
Sunt igitur Styracem in primis qui, Cinnabarinque,
Et Minium, & Stimmi agglomerant, & Thura minuta:
Quorum suffitu pertingunt corpus acerbo:
Absumuntque luem miseram, & contagia dira.
At vero & partim durum est medicamen, & acre:
Partim etiam fallax: quo faucibus angit in ipsis
Spiritus, eluctansque animam vix continet ægram.
Quocirca totum ad corpus nemo audeat uti
Judice me: certis fortasse erit utile membris:
Quæ Papulæ informes, Chironiaque ulcera pascunt.

Argeton

Argento melius persolvunt omnia vivo.
Pars major: Miranda etenim vis insita in illo est:
Sive quod id natum est subito frigusque caloremque
Excipere: unde in se nostrum cito contrahit ignem:
Quodque est condensum, humores dissolvit, agitque
Fortius: ut candens ferrum flammâ acrius urit:
Sive acres, unde id constat compagine mirâ,
Particulæ, nexuque suo vinclisque solutæ
Introrsum, ut potuere seorsum in corpora ferri:
Colliquant concreta: & semina pestis inurunt.
Sive aliam vim fata illi, & Natura dedere,
Cujus & inventum medicamen munere Divûm
Digressus referam. Quis enim admiranda Deorum
Munera prætereat? Syriæ nam forte sub altis
Vallibus, umbrosi nemora inter glauca salicti
Callirhoe quà fonte sonans decurrit amœno,
Fama est, cultorem Diis sacri agrestibus horti
Cultorem nemorum, sectatoremque ferarum
Ilcea labe gravem tantâ, dum molle Cyperum
Et Casiam, & sylvam latè fragrantis Amomi
Irrigat: hæc orasse Deos, & talia fatum.
Dii, quos ipse diu colui: tuque optima tristes
Callirhoe, quæ sancta soles depellere morbos:
Cui nuper ramosa ferens ego cornua cervi
Aeriâ victor fixi capita horrida quercu:
Dii mihi crudelem misero si tollere pestem
Hanc dabitis, quæ me afflictat noctesque diesque:
Ipse ego purpureas, ipse albas veris & horti
Primitias, vobis violas, ego lilia vobis
Alba legam, primasque rosas, primosque Hyacinthos;
Vestraque odoratis onerabo altaria sertis.
Gramen erat juxta viridans. Sic fatur, ut æstu
Fessus erat, viridi desedit graminis herbâ.
Hîc Dea vicino, quæ sese fonte lavabat,
Callirhoe liquido ex antro per lubrica musco
Saxa fluens, juveni dulci blandita susurro,

Lethæum immisit somnum: sparsitque sopore
Graminea in ripâ, & salicum nemus inter opacum:
Atque illi visa est sacro se flumine tollens
In somnis coram esse: piâ & sic voce loquuta.
Ilceu in extremo Diis tandem audite labore
Cura mei, tibi nulla salus quacunque videt Sol
Speranda est terram magnam super. Hoc tibi pœnæ
Dat Trivia, & precibus Triviæ exoratus Apollo,
Ob sacrum jaculo percussum ad flumina Cervum,
Et nostris affixa tibi capita horrida truncis.
Nam postquam illa feram exanimem per gramina vidit
Abscisso capite, & sacro sparsa arva cruore:
Omnibus ingemuit sylvis: dirumque precata est
Authori. Oranti Latous tanta sorori
Affuit: & pestem misero immisere nefandam
Durus uterque tibi: quin & quacunque videt Sol,
Interdixit opem. Quare tellure sub imâ,
Siqua salus superest, cæcâ sub nocte petenda est.
Est specus arboribus tectum, atque horrore verendum
Vicinâ sub rupe, Jovis qua plurima sylva
Accubat: & raucum reddit coma cedria murmur.
Huc, ubi se primis Aurora emittet ab undis
Ire para: & nigrantem ipsis in faucibus agnam
Mactato supplex, atque Ops tibi maxima, dic, hanc,
Dic, ferio. Nigram tum noctem, umbrasque silentes,
Umbrarumque Deos, ignotaque numina Nymphas
Et Thiâ venerare, atræ & nidore cupressi.
Hic tibi narranti causam, auxiliumque vocanti
Haud aberit Dea, quæ cæcæ in penetralia terræ
Deducat te sancta: & opem tibi sedula præstet.
Surge age: nec vani speciem tibi concipe somni.
Illa ego sum, quæ culta vago per pinguia fonte
Dilabor, Dea vicinis tibi cognita ab undis.
Sic ait: & se cæruleo cita condidit amne.
Ille autem ut placidus cessit sopor, omnia lætus
Accipit: & Nympham precibus veneratur amicam.

O se-

O ſequor, ô quocunque vocas pulcherrima fontis
Vicini Dea Callirhoe. Tum poſtera primum
Exurgens Aurora, ſuos ubi protulit ortus,
Monſtratum Jovis in ſylvâ ſub rupibus altis
Antrum ingens petit, & nigrantem tergora primo
Veſtibulo ſiſtit pecudem, magnæque trementem
Mactat Opi: tibique, inquit, ego hanc Ops maxima macto.
Tum noctem, noctiſque Deas, ignota precatur
Numina: tamque ſimul Thian, atramque Cupreſſum
Urebat: quum vox terræ revoluta cavernis
Longè audita ſacras Nympharum perculit aures:
Nympharum, quibus æra ſolo ſunt condita curæ.
Extemplo commotæ omnes, ac cœpta reponunt:
Sulfureos forte ut latices, & flumina vivi
Argenti, mox unde nitens concreſceret aurum,
Tractabant, gelidoque prementes fonte coquebant.
Centum ignis ſpiſſi radios, centum ætheris uſti,
Bis centum concretorum terræque, mariſque
Miſcuerant, noſtros fugientia ſemina viſus.
At Lipare, Lipare argenti cui ſemina & auri
Cura data, & ſacrum flammis adolere bitumen:
Continuo obſcuræ latebroſa per avia terræ
Ilcea adit, firmanſque animum ſic incipit ipſa:
Ilceu (namque tuum nec nomen, nec mihi labos
Ignota eſt, nec quid venias) jam corde timorem
Exue: nequicquam non te huc chariſſima mittit
Callirhoe; tibi parta ſalus tellure ſub imâ eſt.
Tolle animos: & me per opaca ſilentia terræ
Inſequere; ipſa adero, & præſenti numine ducam.
Sic ait: & ſe antro gradiens præmittit opaco.
Ille ſubit, magnos terræ miratus hiatus,
Squallenteſque ſitu æterno, & ſine lumine vaſtas
Speluncas, terramque meantia flumina ſubter.
Tum Lipare: hoc quodcunque patet, quam maxima terra eſt,
Hunc totum ſine luce globum, loca ſubdita nocti,
Dii habitant: imas retinet Proſerpina ſedes:

Flumina ſupremas: quæ ſacris concita ab antris
In mare per latas abeunt reſonantia terras.
In medio dites Nymphæ, genera unde metalli,
Æriſque, argentique, aurique nitentis origo.
Quarum ego nunc ad te miſerans ipſa una ſororum
Advenio, illa ego, quæ venas per montis hiantes,
Callirhoe haud ignota tuæ, fumantia mitto
Sulfura. Sic ibant terrâ, & caligine tecti,
Jamque exaudiri crepitantes ſulfure flammæ,
Concluſique ignes, ſtridentiaque æra caminis.
Hæc regio eſt latè variis ubi fœta metallis,
Virgo ait, eſt tellus: quorum vos tanta cupido
Exercet, ſuperas cœli qui cernitis auras.
Hæc loca mille Deæ cæcis habitamus in antris:
Nocte Deæ & Tellure ſatæ, queis munera mille,
Mille artes. Studium eſt aliis deducere rivos:
Scintillas aliis rimari, & ſparſa per omnem
Semina tellurem flammarum, igniſque coruſci
Materiam miſcent aliæ: maſſamque coercent
Obicibus, multâ & gelidarum adſpergine aquarum.
Non procul eruptis fumantia tecta caminis
Ætnæi Cyclopes habent, verſantque, coquuntque
Vulcano ſtridente, atque æra ſonantia cudunt.
Læva hac abſtruſum per iter via ducit ad illos.
Dextera ſed ſacri fluvii te ſiſtet ad undam,
Argento fluitantem undam, vivoque metallo:
Unde ſalus ſperanda. Et jam aurea tecta ſubibant,
Roranteſque domos ſpodiis, fuligineque atrâ
Speluncas variè obductas, & ſulfure glauco.
Jamque lacus latè undantes, liquidoque fluentes
Argento juxta aſtabant, ripaſque tenebant.
Hic tibi tantorum requies inventa laborum,
Subſequitur Lipare: poſtquam ter flumine vivo
Perfuſus, ſacrâ vitium omne reliqueris undâ.
Sic fatur: ſimul argenti ter fonte ſalubri
Perfundit: ter virgineis dat flumina palmis

Mem-

Membra super: juvenem toto ter corpore lustrat
Mirantem exuvias turpes, & labe malignâ
Exutos artus, pestemque sub amne relictam.
Ergo age, quum primum cœli te purior aer
Accipiet, nitidamque diem, solemque videbis:
Sacra para, & castam supplex venerare Dianam,
Indigenasque Deos, & numina fontis amici.
Sic virgo: & juvenem tanto pro munere grates
Solventem è nocte ætherias educit in oras:
Dimittitque alacrem, atque optata in lumina reddit.
Accepit nova fama fidem; populosque per omnes
Prodiit haud fallax medicamen, cœptaque primum
Misceri argento fluitanti axungia porcæ.
Mox etiam Oriciæ simul adjuncta est Terebinthi,
Et Laricis resina. Aliqui sunt, qui ungen equinum
Ursinumve adhibent, Bdelæ, Cedrique liquorem.
Nonnulli & myrrhæ guttas, & mascula Thura
Adjiciunt; miniumque rubens, & sulfura viva.
Haud vero mihi displiceat, componere siquem
Trita Melampodia, atque arentem juverit Irim,
Galbanaque, & Lasser grave-olens, oleumque salubre
Lentisci, atque oleum haud experti sulfuris ignem.
His igitur totum oblinere, atque obducere corpus
Ne obscœnum, ne turpe puta, per talia morbus
Tollitur: & nihil esse potest obscœnius ipso.
Parce tamen capiti, & præcordia mollia vita.
Tum super & vittas astringe; & stuppea necte
Vellera: dein stratis tegmento imponere multo,
Dum sudes, fœdæque fluant per corpora guttæ.
Hæc tibi bis quinis satis est iterasse diebus.
Durum erit, at quicquid tulerit res ipsa, ferendum est.
Aude animis; tibi certa salus stans limine in ipso
Signa dabit: liquefacta mali excrementa videbis
Assiduè sputo immundo fluitare per ora:
Et largum ante pedes tabi mirabere flumen.
Ora tamen fœda erodent ulcuscula: sed tu

Lacte fove, & cocto Cytini, viridisque Ligustri.
Tempore non alio generosi pocula Bacchi
Annuerim sumenda tibi, purumque Falernum,
Et Chia, & pateris spumantia Rhetica largis.
Sed jam age vicinæ victor gratare saluti.
Ultima adest tibi cura, eadem & placidissima: corpus
Abluere, & lustrare artus, ac membra piare
Stœchade, Amaracinisque comis, & Rore marino,
Verbenâque sacrâ, & beneolentibus Heracleis.

SED jam me nemora alterius fœlicia mundi,
Externique vocant saltus. Longè assonat æquor
Herculeas ultra metas, & littora longè
Applaudunt semota: mihi nunc magna Deorum
Munera, & ignoto devecta ex orbe canenda
Sancta arbos: quæ sola modum, requiemque dolori
Et finem dedit ærumnis. Age Diva beatum
Uranie venerare nemus: crinesque revinctam
Fronde novâ, juvet in medicâ procedere pallâ
Per Latium: & sanctos populis ostendere ramos:
Et juvet haud unquam nostrorum ætate parentum
Visa prius, nullive unquam memorata referre.
Unde aliquis forsan novitatis imagine mirâ
Captus, & heroas, & grandia dicere facta
Assuetus, canat auspiciis majoribus ausas
Oceani intacti tentare pericula puppes.
Necnon & terras varias, & flumina, & urbes,
Et varias memoret gentes, & monstra reperta:
Dimensasque plagas: alioque orientia cœlo
Sydera, & insignem stellis majoribus Arcton.
Nec taceat nova bella: omnemque illata per orbem
Signa novum, & positas leges, & nomina nostra.
Et canat (auditum quod vix venientia credant
Sæcula) quodcunque Oceani complectitur æquor
Ingens, omne, una obitum mensumque carinâ.

Felix

Felix, cui tantum dederit Deus: at mihi vires
Arboris unius ſatis eſt, uſumque referre:
Et quo inventa modo fuerit: noſtraſque ſub auras
Advena per tantum pelagi pervenerit æquor.
Oceano in magno, ardenti ſub ſydere Cancri,
Sol ubi ſe nobis mediâ jam nocte recondit,
Hac ignota tenus, tractu jacet inſula longo:
Hiſpana gens inventrix cognomine dixit:
Auri terra ferax: ſed longe ditior unâ
Arbore: voce vocant patrii ſermonis Hyacum.
Ipſa teres, ingenſque ingentem vertice ab alto
Diffundit ſemper viridem, ſemperque comantem
Arbuteis ſylvam foliis. Nux parva, ſed acris,
Dependet ramis, & plurima frondibus hæret.
Materia indomita eſt, duro & pene æmula ferro
Robora: quæ reſinam ſudant incenſa tenacem.
Diſſectæ color haud ſimplex: in cortice, lauri
Exteriore viret livor: pars altera pallet
Buxea: at interior nigro ſuffuſca colore eſt,
Juglandemque, Ebenumque inter: quod ſi inde puberet,
Jam poterat variis æquare coloribus Irim.
Hanc gens illa colit; ſtudioque educere multo
Nititur: hâc late colles campique patentes,
Hàc omnis veſtitur ager, nec ſanctius illis
Eſt quicquam, aut potiore uſu. Quippe omnis in illâ
Spes jacet hanc contra peſtem; quæ cœlitus illic
Perpetua eſt: validos abjecto cortice ramos
Multâ vi tundunt; aut in ſegmenta minuta
Elimant; puroque ſcobes in fonte reponunt,
Dum bibulas noctemque diemque emaceret humor.
Inde coquunt: necnon illos ea cura fatigat;
Vulcano ne forte furens erumpat aquæ vis:
Et ſuperundantem ſpumam projectet in ignes.
Spumâ quippe linunt, ſi quicquam è corpore toto
Abſcedit: ſi quicquam ægros depaſcitur artus.
Dimidiâ abſumptâ, ſupereſt quodcunque reponunt

Divini laticis. Quin & ſegmenta relicta
Rurſus, ut ante, coquunt, addentes ſuaveliquens Mel.
Scilicet hunc unum menſis accedere potum,
Et lex ipſa jubet gentis, mandatque ſacerdos.
Servatum at laticem, & decocti pocula primi
Bina die quâque aſſumunt, quum ſurgit ab ortu
Lucifer, & ſero egreditur quum veſper Olympo.
Nec prius abſiſtunt potu, quam menſtrua curſum
Luna ſuum, & totum peragrans perfecerit orbem:
Fraternaſque iterum convenerit æmula bigas.
Interea cæcis ſeſe penetralibus abdunt,
Quo neque vis venti, non halitus aeris ullus
Inſinuet ſeſe, & gelidis afflatibus obſit.
Quid mirandum æquè memorem ſuper omnia victum
Quàm tenuem, quàm magna ſibi jejunia poſcant?
Quippe ſolet ſatis eſſe, ipſum dum corpus alatur,
Dum ſuperet vita; & tantum ne membra fatiſcant.
Ne tamen ah! ne tanta time: ſacer ilicet hauſtus
Ille modo Ambroſiæ, vires reficitque fovetque:
Inque occulta gerit jejunis pabula membris.
Nectare ab epoto binas, non amplius, horas
Imponunt ſeſe ſtratis, medicamen ut intro
Large eat: & calido ſudorem è corpore ducat.
Interea vacuas peſtis vaneſcit in auras,
Et (dictu mirum) apparet jam puſtula nulla:
Jamque nomæ ceſſere omnes; jam fortia liquit
Membra dolor; primoque redit cum flore juventa:
Et jam Luna ſuum remeans nova circuit orbem.
Quis Deus hos illis populis monſtraverit uſus:
Qui demum & nobis caſus, aut fata tulere
Hos ipſos, unde & ſacræ data copia ſylvæ;
Nunc referam. Miſſæ quæſitum abſcondita Nerei
Æquora in occaſum ſoliſque cubilia pinus,
Littoribus longè patriis, Calpeque relictis,
Ibant Oceano in magno, pontumque ſecabant
Ignaræque viæ, & longis erroribus actæ.

Quas

Quas circum innumeræ properantes gurgite ab omni
Ignoti nova monstra maris Nereides udæ
Adnabant, celsas miratæ currere puppes,
Salsa super pictis volitantes æquora velis.
Nox erat: & puro fulgebat ab æthere Luna,
Lumina diffundens tremuli per marmora ponti:
Magnanimus quum tanta heros ad munera fatis
Delectus, dux errantis per cærula classis,
Luna, ait, ô, pelagi cui regna hæc humida parent:
Quæ bis ab auratâ curvasti cornua fronte;
Curva bis explesti: nobis errantibus ex quo
Non ulla apparet tellus: da littora tandem
Aspicere, & dudum speratos tangere portus.
Noctis honos cœlique decus Latonia virgo.
Audiit orantem Phœbe: delapsaque ab alto
Æthere, se in faciem mutat, Nereia quali
Cymothoe, Clothoque natant, juxtaque carinam
Astitit, & summo pariter nans æquore fatur;
Ne nostræ dubitate rates; lux crastina terras
Ostendet, fidoque dabit succedere portu.
Sed vos littoribus primis ne insistite dudum;
Ultra fata vocant. Medio magna insula ponto
Est Ophyre, huc iter est vobis, hîc debita sedes
Imperiique caput. Simul hæc effata, carinam
Impulit: illa levi cita dissecat æquora cursu.
Aspirant faciles auræ; & jam clarus ab undis
Surgebat Titan: humiles quum surgere colles
Umbrosi procul, & propior jam terra videri
Incipit: acclamant nautæ, terramque salutant,
Terram exoptatam. Tum portu & littore amico
Excepti, Diis vota piis in littore solvunt:
Quassatasque rates, defessaque corpora curant.
Inde ubi quarta dies pelago, crepitansque vocavit
Vela Notus, remis insurgitur, altaque rursum
Corripiunt maria; & læti freta cærula sulcant.
Linquitur incerto fluitans Anthylia ponto,

Atque

Atque Hagia, atque alta Ammerie, execrataque tellus
Cannibalum, & ripâ Gyane nemorosa virenti.
Protinus innumeræ panduntur turribus altis
Insulæ Oceano in vasto: quas inter, opacis
Undantem sylvis unam, cursuque sonantem
Fluminis aspiciunt: magno qui spumeus alveo
In mare fulgentes auro subvectat arenas.
Hujus in ora placet pronas appellere puppes.
Invitant nemora, & dulces è flumine lymphæ.
Jamque solo viridante alacres, ripâque potiti
In primis terram ignotam, Nymphasque salutant
Indigenas, geniumque loci, teque aurifer amnis,
Quisquis in aura maris nitidâ perlaberis undâ.
Tum duram Cererem, & patrii carchesia Bacchi
Aggere in herboso expediunt: dein quærere siqui
Mortales habitent. Pars fulvam fluminis undam
Mirari; mistamque auro disquirere arenam.
Forte per umbrosos sylvarum plurima ramos
Assidue volitabat avis; quæ picta nitentes
Cæruleo pennas, rostro variata rubenti
Ibat nativo, secura per avia, luco.
Has juvenum manus ut sylvas videre per altas,
Continuo cava terrificis horrentia bombis
Æra, & flammiferum tormenta imitantia fulmen
Corripiunt: Vulcane tuum, dum Theutonas armas,
Inventum, dum tela Jovis mortalibus affers.
Nec mora: signantes certam sibi quisque volucrem,
Inclusam, salicum cineres, sulphurque, nitrumque,
Materiam, accendunt servata in reste favilla:
Fomite correpto diffusa repente furit vis
Ignea circumsepta; simulque cita obice rupto
Intrusam impellit glandem: volat illa per auras
Stridula; & exanimes passim per prata jacebant
Dejectæ volucres: magno micat ignibus aer
Cum tonitru; quo sylva omnis, ripæque recurvæ,
Et percussa imo sonuerunt æquora fundo.

Pars avium nemus in densum conterrita, & altos
Se recipit scopulos: quorum de vertice summo
Horrendum una canit, (dictu mirabile) & aures
Terrificis implet dictis, ac talibus infit.
Qui solis violatis aves, sacrasque volantes,
Hesperii, nunc vos, quæ magnus cantat Apollo,
Accipite: & nostro vobis quæ nuntiat ore.
Vos, quanquam ignari, longum quæsita, secundis
Tandem parta Ophyræ tetigistis littora ventis.
Sed non ante novas dabitur summittere terras,
Et longâ populos in libertate quietos,
Molirique urbes, ritusque ac sacra novare:
Quàm vos infandos pelagi terræque labores
Perpessi, diversa hominum post prælia, multi
Mortua in externâ tumuletis corpora terrâ.
Navibus amissis pauci patria arva petetis.
Frustra alii socios quæretis magna remensi
Æquora; nec nostro deerunt Cyclopes in orbe.
Ipsa inter sese vestras discordia puppes
In rabiem ferrumque trahet: nec sera manet vos
Illa dies, fœdi ignoto quum corpora morbo
Auxilium sylvâ miseri poscetis ab istâ,
Donec pœniteat scelerum. Nec plura locuta
Horrendum stridens densis sese abdidit umbris.
Ollis ossa rigor subitus percurrit, & omnis
Palluit, ac gelidâ fugit formidine sanguis.
Tum vero sacras volucres, Divosque precati,
In primis solem, & sanctum servantia lucum
Numina supplicibus veneramur agrestia votis:
Pacem orant, rursumque Ophyren, fluviumque salutant.
Interea è sylvis nigrum genus ora comasque,
Ad naves nova turba virûm concurrit inermis,
Pectora nudi omnes, evincti frondibus omnes
Paciferis: tanta qui celsas mole carinas
Mirati, vestesque virûm, fulgentiaque arma,
Vix satis expleri possunt: & ab æthere missi

Sive homines, ſive heroes ſint, ſive Deorum
Numina, adorantum ritu, precibuſque ſalutant:
Ante alios ipſum Regem, cui munera læta
E ripis collectum aurum, & Cerealia dona,
Et patrios fructus, & mella liquentia portant.
Veſtibus etiam ipſi noſtris, & munere multo
Donati, exceptique mero nova gaudia miſcent.
Non aliter, quam ſi menſis, dapibuſque Deorum
Mortalis quiſquam adſcitus, felixque futurus,
Hauriat æternum, cœleſtia pocula, nectar.
  Ergo ubi amicitiæ ſecuros fœdere utrinque
Firmavere animos, habita & commercia gentis,
Ipſi inter ſeſe reges in littore læti
Complexu jungunt dextras, & fœdera firmant.
Alter goſſipio tenui pectuſque femurque
Præcinctus, viridi limbum pingente ſmaragdo,
Ora niger: jaculo armatur cui dextera acuto:
Squammoſi ſpolium ſuſtentat læva Draconis.
Alter at intexto lænam circundatus auro:
Quam ſubter rutila arma micant, capiti ærea caſſis
Inſidet, & pictæ volitant in vertice criſtæ.
Fulgenti ex auro torques cui candida colla
Cingunt, atque enſis lateri dependet Iberus.
Et jam commiſti populi, hoſpitioque recepti,
Hi tectis domibuſque, altis in navibus illi.
Lætitiâ ludiſque dies per pocula ducunt.
  Forte loco lux feſta aderat; Solique parabant
Ultori facere umbroſo ſacra annua luco.
Heſperiæque, Ophyræque manus convenerat omnis:
Hic convalle cavâ, ripæ viridantis in herbâ
Selectorum ingens numerus, matreſque virique
Confuſi, plebs atque patres, puerique ſeneſque,
Aſtabant, animis triſtes, & corpora fœdi,
Squallentes cruſtis omnes, taboque fluentes.
Quos circumfuſos albenti in veſte ſacerdos
Purâ luſtrat aquâ, & ramo frondentis Hyaci.

Tum

Tum niveum ante aras cædit, de more, juvencum,
Et juxta positum pastorem sanguine cæsi
Respergit, pateraque rigat: Solique potenti
Ad numeros pæana canit: nec cætera turba
Non sequitur; mactantque sues, mactantque bidentes;
Visceribusque veru tostis epulantur in herbâ.
  Obstupuit gens Europæ ritusque sacrorum,
Contagemque alio non usquam tempore visam.
At dux multa animo tacitus secum ipse volutans,
Hic erat ille, inquit, morbus, (Dii avertite casum)
Ignotum interpres Phœbi quem dira canebat.
Tum regem indigenam, (ut sermo fandique facultas
Jam communis erat) cui sint solennia Divum?
Scitatur: quid tanta astet convalle sub altà
Languentum miseranda manus? quid pastor ad aras
Sacra inter, cæsi respersus sanguine tauri?
Quem contra, Hesperiæ ô Heros fortissime pubis,
Rex ait, hi gentis ritus: hæc sacra quotannis
Ultori de more Deo celebramus. Origo
Antiqua est, veteresque patrum fecere parentes.
Quod si externorum mores, hominumque labores
Audivisse juvat: primævâ ab origine causam
Sacrorum, & pestis miseræ primordia pandam.
Forsitan Atlantis vestras pervenit ad aures
Nomen, & ex illo generis longo ordine ducti.
Hâc & nos, longâ serie, de stirpe profecti
Dicimur; heu quondam felix & cara Deum gens:
Dum cœlum colere, & superis accepta referre
Majores suevere boni: sed numina postquam
Contemni cœptum est, luxu fastuque nepotum,
Ex illo quæ sint, miseros, quantæque secutæ
Ærumnæ, vix fando unquam comprendere possem!
Insula tum prisci regis de nomine dicta
Ingenti terræ concussa Atlantia motu
Corruit, absorpta Oceano: quem mille carinis
Sulcavit toties, terræ regina marisque.

Ex illo & pecudes, & grandia quadrupedantum
Corpora, non ullis unquam reparata diebus
Æternum periere: externaque victima ſacris
Cæditur, externus noſtras cruor imbuit aras.
Tum quoque & hæc infanda lues, quam noſtra videtis
Corpora depaſci: quam nulli, aut denique pauci
Vitamus, Divum offenſis, & Apollinis irâ
De cœlo demiſſa, omnes graſſatur in urbes.
Unde hæc ſacra novo primum ſolennia ritu
Inſtituere patres, quorum hæc perhibetur origo.
Syphilus (ut fama eſt) ipſa hæc ad flumina paſtor
Mille boves, niveas mille hæc per pabula regi
Alcithoo paſcebat oves, & forte ſub ipſum
Solſtitium, urebat ſitientes Sirius agros;
Urebat nemora: & nullas paſtoribus umbras
Præbebant ſylvæ: nullum dabat aura levamen.
Ille gregem miſeratus, & acri concitus æſtu,
Sublimem in Solem vultus & lumine tollens,
Nam quid Sol te, inquit, rerum patremque Deumque
Dicimus? & ſacras vulgus rude ponimus aras?
Mactatoque bove, & pingui veneramur acerra?
Si noſtri nec cura tibi eſt, nec regia tangunt
Armenta? an potius ſuperos vos arbitrer uri
Invidia? mihi mille nivis candore juvencæ,
Mille mihi paſcuntur oves: vix eſt tibi Taurus
Unus, vix Aries cœlo (ſi vera feruntur)
Unus, & armenti cuſtos canis arida tanti.
Demens quin potius Regi divina faceſſo?
Cui tot agri, tot ſunt populi, cui lata miniſtrant
Æquora, & eſt ſuperis, ac Sole potentia major.
Ille dabit facileſque auras; friguſque virentum
Dulce feret nemorum armentis, æſtumque levabit.
Sic fatus, mora nulla, ſacras in montibus aras
Inſtituit regi Alcithoo: & divina faceſſit.
Hoc manus agreſtum, hoc paſtorum cætera turba
Exequitur: dant thura focis incenſa; litantque

Sanguine

Sanguine taurorum; & fumantia viſcera torrent.
Quæ poſtquam Rex, in ſolio dum forte ſederet
Subjectos inter populos, turbamque frequentem,
Agnovit: Divum exhibito gaviſus honore,
Non ullum tellure coli, ſe vindice, numen
Imperat, eſſe nihil terrâ ſe majus in ipsâ:
Cœlo habitare Deos, nec eorum hoc eſſe quod infra eſt.
Viderat hæc, qui cuncta videt, qui ſingula luſtrat,
Sol pater: atque animo ſecum indignatus, iniquos
Intorſit radios, & lumine fulſit acerbo.
Aſpectu quo terra parens, correptaque ponti
Æquora; quo tactus viro ſubcanduit aer.
Protinus illuvies terris ignota profanis
Exoritur. Primus, regi qui ſanguine fuſo
Inſtituit divina, ſacraſque in montibus aras,
Syphilus, oſtendit turpes per corpus Achores.
Inſomnes primus noctes, convulſaque membra
Senſit, & à primo traxit cognomina morbus:
Syphilidenque ab eo labem dixere coloni.
Et mala jam vulgo cunctas diffuſa per urbes
Peſtis erat: Regi nec ſæva pepercerat ipſi.
Itur ad Ammericen ſylva in Cartheſide Nympham;
Cultricem nemorum Ammericen: quæ maxima luco
Interpres Divum reſponſa canebat ab alto.
Scitantur; quæ cauſa mali, quæ cura ſuperſit,
Illa refert. Spreti vos ô, vos numina Solis
Exercent: nulli fas eſt ſe æquare Deorum
Mortalem: date thura Deo, & ſua ducite ſacra,
Et numen placate, iras non proferet ultra.
Quam tulit, æterna eſt, nec jam revocabilis unquam
Peſtis erit: quicunque ſolo naſcetur in iſto,
Sentiet, ille lacus Stygios, fatumque ſeverum
Juravit, ſed enim, ſi jam medicamina certa
Expetitis, niveam magnæ mactate juvencam
Junoni, magnæ nigrantem occidite vaccam
Telluri: illa dabit fœlicia ſemina ab alto:

Hæc viridem educet fœlici è semine sylvam:
Unde salus. Simul obticuit, specus intus; & omne
Excussum nemus, & circum stetit horror ubique.
Illi obeunt mandata: sua ipsi altaria Soli
Instituunt: niveam Juno tibi magna juvencam,
Nigrantem Tellus mactant tibi maxima vaccam.
Mira edam. (at divos juro, & monumenta parentum)
Hæc sacra, quam nemore hoc toto vos cernitis, arbor,
Ante solo nunquam fuerat quæ cognita in isto,
Protinus è terra virides emittere frondes
Incipit, & magna campis pubescere sylva.
Annua confestim Soli facienda Sacerdos
Ultori nova sacra canit. Deducitur ipse
Sorte data, qui pro cunctis cadat unus ad aram,
Syphilus: & jam farre sacro, vittisque paratis
Purpureo stabat tincturus sanguine cultros:
Tutatrix vetuit Juno, & jam mitis Apollo,
Qui meliorem animam miseri pro morte juvencum
Supposuere, feroque solum lavere cruore.
Ergo ejus facti æternum ut monumenta manerent,
Hunc morem antiqui primum statuere quotannis
Sacrorum. Ille tuum testatur Syphile crimen,
Victima vana, sacras deductus pastor ad aras.
Illa omnis, quam cernis, inops miserandaque turba
Tacta Deo est, veterumque luit commissa parentum.
Cui votis precibusque piis numerisque sacerdos
Conciliat vates Divos, & Apollinis iras.
Lustrati ingentes ramos, & robora sanctæ
Arboris advectant tectis: libamine cujus
Vi mira infandæ labis contagia pellunt.
Talibus, atque aliis tempus per multa trahebant
Diversis populi commisti è partibus orbis.
Interea, Europæ fuerant quæ ad cara remissæ
Littora, jam rursus puppes freta lata remensæ
Mira ferunt; late (proh! fata occulta Deorum)
Contagem Europæ cælo crebrescere eandem,

Attonitasque urbes nullis agitare medelis.
Quinetiam gravior naves it rumor in omnes,
Illo eodem classem morbo, juvenumque teneri
Haud numerum exiguum, & totis tabescere membris;
Ergo haud immemores, diras cecinisse volucres
Affore, quum sylvâ auxilium poscatur ab illâ:
Continuò faciles Nymphas, solemque precati
Intacti nemoris ramos, & robora ab alto
Convectare parant luco; medicataque sumunt
Pocula, pro ritu gentis, quo munere tandem
Contagem pepulere feram; quin dona Deorum,
Haud patriæ obliti, & felicem ad littora sylvam
Nostra jubent ferri, cœlo si forsitan isto
Assimilem pellant labem. Nec fata secundos
Ipsa negant Zephyros: facilisque aspirat Apollo.
Munera vos Divûm primi accepistis Iberi,
Præsens mirati auxilium: nunc cognita Gallis,
Germanisque, Scythisque, orbe & gavisa Latino
Jam nunc Europam vecta est Huyacus in omnem.
Salve magna Deum manibus sata semine sacro,
Pulchra comis, spectata novis virtutibus arbos:
Spes hominum, externi decus, & nova gloria mundi;
Fortunata nimis; natam si numina tantum
Orbe sub hoc, homines inter gentemque Deorum
Perpetuâ sacram voluissent crescere sylvâ.
Ipsa tamen, si qua nostro te carmine Musæ
Ferre per ora virum poterunt; hac tu quoque parte
Noscêris: cœlóque etiam cantabere nostro.
Si non te Bactra, & tellus extrema sub Arcto
Non Meroe, Libycisque Ammon combustus arenis,
At Latium, at viridis Benaci ad flumina ripa
Audiet: & molles Athesi labente recessus.
Et sat erit, si te Tiberini ad fluminis undam
Interdum leget, & referet tua nomina Bembus.

MARCI HIERONYMI VIDÆ

Cremonensis

BOMBYCUM, LIB. I.

QUos mores, quas aut parvis reptantibus artes
Juppiter addiderit, quæ fila tenacia Serum
Ore vomunt Saturæ, vos mecum evolvite Nymphæ
Seriades, vos lanifici gregis aurea noſtis
Munera, quæ pater Italiæ prior intulit olim
Serius, huc patriis Serum devectus ab oris.
Tuque ades, & noſtro ſuccurre Iſabella labori
Nympha Padi in ripâ magnis è regibus orta,
Quæ gentem pulchrâ auxiſti pulcherrima prole
Gonſagam, exiguis ades huc non aſpera cœptis.
Et vos ô placidæ properate, ubi quæque, puellæ :
Veſtrum opus hoc, veſtros faciles hic diſcite cultus.
  Id tineæ in ſylvis multis volventibus annis
Gentibus ignotum vixit genus : aurea fruſtra
Edebant opera umbriferis pendentia ramis.
Nam pluviæ, lateque immites omnia venti
Vaſtabant, tenui nec honos, nec gloria filo
Ulla erat, in ſylvis ceu quondam more ferarum
Degebant homines antiquo robore nati.
Nondum urbes, nondum certos gens dura penates
Noverat, aut ullas vitam excoluiſſe per artes.
Verùm poſtquam homini eſt divini muneris uſus
Traditus, in tectis, atque intra ſepta domorum
Sylveſtres tineas alere, atque impendere curam
Cœpit, opes multi hinc ad ſummas emerſere.
Quamvis eſſe aliquas etiam nunc fertur in oris
Longè aliis gentes, quæ nondum in tecta relatas
Per lucos errare ſinunt, nulloque labore
Fila ſuo carpunt oneratis mollia ramis.

Nam multum aſſuetæ arboribus frondentibus illæ
Pubentes ſylvas, & quæque tenerrima carpunt,
Injuſſæque inſtant operi, non horrida multum
Flabra nocent, neque proviſi prudentibus imbres.
Quippe, ubi ſenſerunt in nubes aëra cogi,
Diffugiunt trepidæ, foliiſque ſub omnibus hærent;
Securæque hyemis velut alta ex arce ſonantes
Accipiunt Auſtros, agitanteſque obvia nimbos.
Sed tu ne, moneo, in ſylvis permitte vagari
Incuſtoditas, nec curam adhibere recuſa
In tectis: hujus non gratia parva laboris:
Haud longum tempus fluet, & jam ſtamine multo
Dives eris, filoque ibis ſpectabilis aureo.
Principio ne te lateat quæ tradita agendæ
Sint illis vitæ ſpatia, brevis omnibus ætas,
Vix ulli Lunæ completur tertius orbis,
Et nunquam ex ſeſe prolem videre creatam.
Intereunt omnes, pecus occidit omne quotannis
Et cunctam evertunt fera fata ab origine gentem.
Immortale tamen reſtat genus his, neque morti
Eſt penitus locus, æternùm nam ſemina durant.
Ceu quondam ſylvæ ſi forte aut frigore diro,
Aut æſtu areſcant ſummæ, tamen abdita quædam
Vitalis ſuperat vis in radicibus imis,
Et trunco exciſo nova vere repullulat arbos.
Non ſecus extinctis bombycibus annuus ortus;
Uſque nova in regnis proles ſuccedit avitis,
Ne vero ante diem, ſed tempeſtiva creata
Sit ſoboles, veto ne revoces in luminis oras
Progeniem extinctam, attonſis cum gramina campis
Nondum ulla, aut frondes apparent arbore nullæ.
Ante nova incipiat morus revireſcere ſylva,
Neve fames teneris, neve obſint frigora alumnis;
Ipſi etiam morum agricolæ, ne tempora fallant,
Obſervare ſolent. Nam cum ſeſe illa virentem
Induit in frondem, noſtris tum protinus oris

Exceſ-

Exceſſiſſe hyemem, & manes abiiſſe ſub imos
Nil dubitant, nec ſæva ultra pecorive ſatiſve
Frigorave glaciemve timent, canamve pruinam.
Præterea tibi Lunai gelidæ incrementa
Sunt ſervanda; ſeneſcentis fuge tempora læva.
Nec tum etiam liquidis cum ſeſe nuper ab undis
Extulit Oceani, pallenteſque humida vultus
Oſtendit gracili incedens per inania cornu,
Utile erit teneros ovis excludere fœtus.
Expecta cum plena animis, cum lumine largo
Solis ab igne tumens, altumque per æthera vecta
Carpit iter, fratremque audet ſe attollere contra.
Tum fas fœturæ, tum juſtum incumbere tempus,
Quandoquidem validas creſcenti à lumine vires
Semina concipiunt genitalia. tum favet æther,
Majoremque trahunt naſcentia membra vigorem.
Quo foveas autem pacto, mos ipſe fovendi
Haud ſimplex: ſunt quæ calido ſub ſole relinquunt
Ova, recens donec fœtus in luminis auras
Prodierit: tu conde ſinu velamine tecta,
Nec pudeat roſeas inter foviſſe papillas,
Si te tangit honos, & flavi gloria fili.
Cumque dies alterque dies proceſſerit, ecce
Cernere erit formis animantia fervere miris.
Ante opus omne tamen pete matutina Deorum
Limina, ferque preces ſupplex, Diviſque litato
Auſpicibus cunctorum operum, cum mane ſacerdos
Sinceram Cererem, & Lenæum libat honorem.
Nec non lanicii florem velamina prima
Suſpendes templis: avertunt omnia fœtu
Munere placati ſuperi mala, frigora & æſtus,
Et quæ multa ſolent bombyci inſtare pericla.
Interea populis ſedes, & tecta futuris
Ipſa novare jube, tabulataque victa ſenectâ.
Non aptæ ſine ſole domus, ſine luce penates.
Sed duplices rectâ lumen regione feneſtræ

Admit-

Admittant, quarum ſurgentes altera Phœbi
Spectet equos, feſſos contra altera, jamque cadentes.
Tum vitri pellucentes opponere quadras
Hinc atque hinc jubeo, lini aut firmiſſima texta;
Ut neque concutiant venti, neque nubila nimbis
Conſpergant, obſitque intus penetrabile frigus.
Nec poſtrema fuit cautis prætendere cura
Retia rara, avium inſidias, & callida furta
Averte: illudit paſſer cuſtodibus olim
Improbus, illudit chortis criſtata volucris.
Dant ſtragem paſſim roſtris immitibus, implentque
Ingluviem, ac vivo viva abdunt corpora buſto.
Nec, quibus eſt tineæ felicis copia multa,
Parietibus ſedem affigunt, ſed quattuor æquis
Tectorum in medio erectis hinc inde columnis
Plurima ſuſpendunt tabulata, aulæque per altos
Surgunt mille gradus, digeſtæque ordine ſedes.
Tuque etiam, variæ ut nequeant irrepere peſtes,
Parietis antiqui vitium ne neglige ſegnis:
Sed calce aut cretâ linito, atque anguſta viarum
Quæque time. mus ſæpe cavis ſeſe abdidit imis
Luce latens, at cum in tenebris cinis occulit ignem
Sopitum, indulgetque gravi cuſtodia ſomno,
Improbus egreditur tutis ad furta latebris,
Et citus irreptat tabulis, ſævitque per omnes
Cæde madens aulas, prædamque avertit ab altis
Porticibus ſatur, atque cavis epulatur in antris.
Molire inſidias, deceptum carcere claude,
Ignaruſque doli ſibimet ſua vincula nectat,
Dum petit oſtenſam confidentiſſimus eſcam.
Quædam ètiam trabibus, quibus omnis machina rectis
Nititur, auxiliantur, & imas ſentibus armant,
Sentibus & tribulis; ac juniperi hirſutæ
Vulnificos addunt gladios, circùm undique ut hoſtis
Indeprenſus eat ſaltem per vulnera mille,
Nec referat captam multo niſi ſanguine prædam.

Verùm age vix tenebras pepulit lux tertia rebus,
Ecce ſinu incipiunt tepido calefacta moveri.
Semina, jam viſenda novis animalia formis
Irrepunt, paſſimque albis mantilibus errant.
Ne verò jam tum hæc thalamis ſublimibus infer.
Exiguus primùm ſobolem capiet locus omnem,
Corpora deinde auctæ cunabula prima relinquent:
Tum cunctam in populos, in vicos divide gentem;
Diviſaſque dabis ſedes, ſecretaque regna.
Nec ſatis hoc ſemel, at quoties his arcta videbis
Eſſe domus ſpatia, augentur dum corpora cuique,
Has toties legere, inque novas deducere ſedes
Ne dubita, donec tabulas impleveris omnes.
Nec tamen interea parvas non paſcere oportet.
Ut primum hauſerunt cœli auras, pabula poſcunt,
Aſſueſcunt jam tum dapibus, menſaſque requirunt.
Sed prodeſt, nondum thalamos experta puella
Prima manu tenerâ teneras ſi paſcat alumnas.
Primam autem mori pubem, atque tenerrima ſemper
Quæque legunt, dum grex tener eſt, atque inſcius ævi
Continuo veterum veluti memor ille parentum
Agnoſcit veſcas frondes, ipſaſque recentes
Depoſcit: nam ſi plenis ſerventur in horreis
Heſternæ, dulcis ſucci corrumpitur aura,
Et ſapor ingratus ſubit, atque inamabilis hauſtu.
Mane petunt igitur ſylvas, & quâque reportant
Pabula lecta die famulæ, gratumque laborem,
Sortitæ inter ſe folia illibata caniſtris
Expediunt, legit illa, domum fert altera lecta,
Inſtaurant aliæ menſas, epulaſque miniſtrant,
Pabula larga ſuperjaciunt pecus omne tegentes.
Protinus emergunt tineæ, folioque jacenti
Victrices ſuper aſſiſtunt, omniſque juventus
Veſcitur, atque avidæ dapibus implentur opimis.
Fit ſtrepitus, longe qualem olim ſæpe ſolemus
Cùm pluit, in tecto clauſis audire feneſtris.

Nec

Nec mora, nec requies, properant, & grandia morsu
Attondent folia emensæ, redeuntque iterumque
Incumbunt, longam nequeunt explerier alvum,
Dum superant frondes, & plenæ pabula mensæ.
Tuque ideo parcis epulas moderare canistris,
Terque die tantum pasces: nam prodiga cunctam
Si frondem simul effundas, sine more, dapesque
Accumules, mensasque oneres, avertitur ultrò
Ingratam saturum morum pecus, atque repentè
Ipsa parit largi fastidia copia victûs.
Paulatim invita, metuant sibi pabula semper
Deficere, expectentque dapes. prius injice ludens
Frondem unam, ac certare sine, illæ protinus omnes
Arrexere animos cupidæ, prædamque capessunt
Certatim, pariterque ingens subit ardor edendi.
Tum demum solitas epulas effunde canistris,
Dum dapis optatæ fuerit compressa libido.
Sed ne longa fames noceat tamen aspice prudens,
Dum nimium differs epulas, & gaudia mensæ.
Nam soliti impastis si desit copia victûs,
Nulla mora est, miseras macies deformat iniqua:
Pabula deinde parùm exhaustis duplicare juvabit,
Et vix longa dies lapsas in pristina reddet:
Dira fames adeò nocet, & penuria edendi.
Quinetiam haud parvi mutari pabula refert;
Est bicolor Morus, bombyx vescetur utrâque,
Utraque grata illi, cui verò affuerit, eandem,
Nigra, albensve fuat, nullo discrimine amabit;
Quamvis Ausoniis laudetur nigra puellis.
Fortè etiam si deficiant folia omnia mori,
Et subito sylvæ (Dii talem avertite casum)
Thisbææ arescant nimio æstu, aut frigore, quæris
Quasnam tum, pereant ne res tibi funditus omnes,
Bombyci jubeam legere, & summittere frondes.
Orandi superi eveniant ne talia nobis:
Si tamen urgeris, conscendat robora pastor

Ulmea

Ulmea per ſylvas, & ſumma cacumina carpat.
His etenim arboribus multùm eſt affinis origo,
Jamque ideo agricolæ morum didicere per agros
Inſerere umbroſæ ramis ingentibus ulmi,
Et ſteriles ſylvæ nunc dant bicoloria Mora.
Sunt aliæ, quæ, ſi fœtus ſibi naſcitur antè
Quam Thisbæa novis adoleſcat frondibus arbos,
Urticamque ruboſque legunt, dum plurimus humor
Vere ſubeſt. at tu teneris nunc parce puellis,
Crura manuſque arment facito, nec robora dura
Aſcendat permitte in ſylvis innuba virgo:
Verùm operum patiens anus, & cui durior annis
Sit cutis (ingratæ facilis jactura ſenectæ)
Munere fungatur tali, ne forte quis altis
Egreſſus ſylvis Satyrorum è gente procaci
Suſpiciat, teneræque pudor notet ora puellæ.
Illa quoque in primis cura eſt, ut pabula ſemper
Sicca legant, nullâque fluant aſpergine ſylvæ
Aut pluviæ, aut roris nocturni; quippe venenum
Sæpe fuit quamvis tenuis bombycibus humor.
Nunquam igitur, cum nox horis ſilet intempeſtis,
Accedant ſylvam, expectent dum gurgite Eoæ
Tethyos exierit, ſurſumque eduxerit omnem
Collectum noctis humorem purpureus Sol,
Et jàm tres, ſcandens ſupera alta, peregerit horas.
Quod ſi forte etiam fuerit tunc humida ſylva,
Ut potes, è foliis ſtillantem decute rorem.
Profuit &, ſiquando matutina pruina
Perſtrinxit teneras frondes, oſtendere Soli
Cratibus impoſitas, & frigora vincere flammis.
Cumque tibi fuerint ſuſpecti denique nimbi,
Appropera, calathos cape, moros ſcande, miniſtras
Voce voca, mitte in ſylvas, ſine lege legunto
Obvia quæque, penum foliis atque horrea comple,
Ne, dum ſævit hyems, perdent jejunia pubem
Lanivomam, at partâ ſecuræ fronde fruantur.

Quod

Quod si adeo subitum cito non prævideris imbrem,
Ne turpi rigeat macieque, fameque senescat
Omne pecus, validos in sylvas mitte colonos,
Qui tibi utraque manu nunc huc, nunc robora & illuc
Crebra agitent, frondem patulis tu impone canistris
Rorantem, quando fatis urgemur acerbis.
At labor interea famulas exerceat alter.
Cura sit hesternæ semesas tollere mensæ
Relliquias, tabulisque immundam avertere ventris
Proluviem: mane ante pecus quam pabula gustet,
Tergendæ sedes, & gramine perverrendæ.
Tum Bacchi irrorant gratum bene olentis odorem,
Purgatisque abigunt tabulis tristem omnibus auram.
Hinc leviter digito medicatis sedibus omnes
Traducunt cœtus lætos melioribus auris,
Nec super extremas errare licentius oras
Permittunt; semper media ad penetralia cogunt,
Præcipitesque timent lapsus, altasque ruinas.
Huic generi facilis lethi via: protinus ægras
Delapsæ effundunt animas, lucemque relinquunt.
Si qua tamen superest, & cœli vescitur aura
Post casum, inspicito. Nam si pars corporis ulla est
Læsa tibi deprensa, aliarum sedibus ultro
Projice, nec frustra libeat tibi pascere inertem.
Nullam operam omnino, nullum expectabis ab illa
Certa opus: ignavum deducet inutilis ævum,
Et comitum egregias tantum mirabitur artes.
Sæpe etiam impastas averti pabula cernes,
Sopitasque gravi veluti torpere veterno
In tabulis; hic parce metu, ne corpora morbus
Forte aliquis, gentemque lues invaserit ægram.
Hunc illis morem, natura hunc ipsa soporem
Addidit, indulgent somno, stratisque quiescunt,
Sopitisque dies alter transibit & alter.
Cum vero expulerit noctem lux tertia rebus,
Consurgent, lætæque ad pabula nota redibunt.

Ergo illas tumidas jubeo observare, nec ingens
Nosse labor, ne improvisus sopor occupet: ultro
Signa dabunt ipsæ; cœlo capita ardua tollent
Arrectæ, spernentq; dapes. Tum pigra notabis
Corda, animos resides, insueta silentia mensis.
Non tamen adveniet somnus simul omnibus idem.
Insomnes aliquæ vigilant, dum turba quiescit
Cætera, nondum aptæ, teneros quibus alliget artus
Irrepens sopor; advenient sua tempora & illis,
Atque omnes tandem demittent lumina somno.
Cura sit interea insomnes legere atque vagantes,
Secretasque aliis aliam cito transfer in aulam.
Sopitæ stabulent simul; his par omnibus ætas.
Unà operi incumbent, & eodem tempore sese
Artubus exolvent supera ad convexa volantes.
Dumq; Deus stratis thalamisve silentibus ales
Regnat lethæo persundens corpora rore,
Pabula subtrahito solita frondemque negato.
Nam tumidæ interea renovant torpentia alumnæ
Corpora, & exuvias veteres, ac tegmina ponunt,
Et nitidam induitur pubes renovata juventam.
Ceu fodere domos serpentum ubi lubrica turba
Sub terram, veniente hyeme; stant frigore inertes,
Dum redeat terris tepidi clementia veris:
Tum demum egressi, ad solem squalentia terga
Convolvunt, posita turpi cum pelle senecta.
Annuus hic illis mos, at bombycibus ipsis
Ter pigra, dum vivent, renovabit corpora somnus.
Jamque age, jam grandes fœtus, jam ducitur ætas
Ultima, turgenti filum tralucet in alvo
Omnibus, accingunt alacres, operique parant se.
Pabula jam saturæ fugiunt; nova quærere regna
Ardor agit: tollunt oculos arrectaque terga.
Omnia vestigant late loca, sicubi rami
Arbutei, per quos sua possint tendere fila,
Atque novis priscos cupiunt mutare penates,

Et

Et tabulæ extremis pendentes sedibus hærent.
Tum famulæ properare, omnes provisa parare
Sarmenta, & steriles tectis inferre genistas.
Jamque illæ antiquas sedes, supera ardua linquant,
Atque nova hospitia invadant per vimina lenta
Demissæ, nisi succurrat nuruum ocyus omnis
Hinc atque inde manus durum miserata laborem.
Ipsæ nam manibus secernunt grandia natu,
Corpora, jam matura operi, jamque apta labori,
Per ramosque locant arentes agmina densa.
Summotas alias arcent, dum funditus omnes
Corporeæ excedant labes, ac temporis orbe
Perfecto sua cuique dies exemerit omnem
Alvi insinceræ illuviem, purumque relinquat
Lanicium, & fili tralucens simplicis aurum.
Sic ubi mitescunt pendentes vitibus uvæ,
Paulatim liquor ille intus rarescit, & aureus
Accedit color, elucent purissima musta.
Tum demum tabulis passim sarmenta relictis
Complerunt omnes, perque atria virgea lætæ
Exercentur, & effundunt quæsita per ævum
Stamina ditis opes uteri, suspensaque densos
Fila regunt inter ramos, atque ordine ducunt.
Mille legunt releguntque vias, atque orbibus orbes
Agglomerant, cæco donec se carcere claudant
Sponte suâ: tanta est edendi gloria fili.
Mox autem clausæ interius circum undique lecta
Stamina condensant, teretisque ovi instar opus fit.
Nullæ operum immunes: est omnes cernere passim
Noctes atque dies niti præstante labore,
Et quasi de palma summas contendere vires.
Aspicias quasdam incipere, primumque laborem
Tendere adhuc, quasdam obscuro jam carcere clausas.
Ast aliæ velut in nebula, fumoque nigranti
Nunc etiam apparent properantes intus, & omnes
Fas oculis spectare vias, variumque laborem.

Quin & nonnullæ paribus communia curis
Associant opera, & nebula clauduntur eadem.
Quædam adeo (visu miserabile) sæpe repertæ,
Dum tendunt superare alias, instantque labori,
Vitam opere in medio clausæ sub nocte dedisse
Ante diem, Ah! miseræ : jacuit labor interruptus.
Parva mora est tamen : ut se aliæ inclusere latebris,
Extremoque manum summam imposuere labori,
Exhaustæ intereunt omnes, terrasque relinquunt.
Ite animæ egregiæ, fortunatæque laborum,
Ultro in fata alacres ; vobis nempe altera fato
Corpora debentur, vobis miserata priorem
Eripiet formam Venus, atque ad dulcia reddet
Lumina, & aerias rursum revocabit in auras.
Prima Venus docuit bombycem in tecta referre
Eductam sylvis, atque hanc impendere curam.
Ante homines nati durum genus ilice rupta
In sylvis nudi degebant more ferarum,
Necdum ullus lini, necdum ullus velleris usus.
Verum dura hyemis pellebant frigora, noctisque
Humorem, fruticum se frondibus involventes,
Et liquidos imbres vitabant arbore tecti,
Per noctemque cavis latitabant rupibus hirti ;
Hic illic misti latos impune per agros
Cum nudis nudi juvenes errare puellis.
Ast ubi crescenti paulatim cognitus orbi
Irrepsit pudor, exuviis coepere ferarum
Aut tergo bovis, aut villosi pelle leonis
Se tegere, & coriis involvere mollibus artus.
Ipsi etiam nudi degebant æthere in alto
Cœlicolæ, Cœlique nurus, discrimine nullo.
Prima Deum Pallas docuit committere campo
Enodis lini segetem, & tondere bidentem
Lanigeram, ac tenui telas intendere filo.
Illa quidem primum vario se ornavit amictu
Egregiam picto pallam circundata limbo.

Mox

Mox alias etiam texit ditissima divas:
Nec mora, deinde novam ostendit mortalibus artem.
Tantum nuda Venus mœrebat muneris expers
Egregii, ob formam textrici invisa Minervæ,
Atque irrisa diu super Idalium frondosum
Se, natosque suos in sylvis condidit atris;
Cui post optanti fors & Deus attulit olim
Auxilium: Nam Peliacis te in montibus altis,
Phyllira, nympharum pulcherrima montanarum,
Saturnus captus formâ & florentibus annis
Viderat errantemque, & gramina certa legentem.
Ah! quoties precibus nympham Deus aspernantem
Tentavit supplex, ingrataque munera verbis
Addidit; Ah! quoties nimbosis montibus errans
Matutinus iter tulit, & monstravit in agris
Præsentes morbis herbas, usumque medendi?
Illa aversa Deum semper fugiebat amantem.
Quid faceret? Venerem supplex, adit ipse, rogatque
Auxilium, & meriti promittit præmia tanti.
Diva monet duræ frustra præcordia Nymphæ
Tentari, nulli pectus penetrabile amori,
Nec precibus, nec muneribus mutarier ullis,
Fallendamque dolis tantum, furtisque domandam.
Ergo se in faciem subito transformet equinam
Imperat, & pascat, quâ gramina sueverat illa
Quærere, ut ignaram furto aggrediatur opertus.
Nec mora præceptis, hinnitu Pelion altum
Clausus equo Deus implevit, votoque potitus
Vi tenuit frustrà pugnantem, & multa recusantem.
Exin promeritæ Veneri pro munere magno
Semina clausa dedit niveo tenuissima linteo,
Et meriti memor, his, inquit, pulcherrima texes
Diva tibi insignes tunicas, nihil indiga lanæ,
Aut lini, quæ dona negat tibi iniqua Minerva.
Hinc præcepta dedit, divinam & prodidit artem,
Quam primus, nati fugeret cum protinus iras,

Deprendit solis meditando in montibus olim.
Insuper admonuit venturi præscius ævi
Quondam aliquos (sed enim multò pòst) affore vates,
Qui totum canerent præclara inventa per orbem,
Gratum opus Ausoniis, dum volvent fila, puellis.

Bombycum. LIB. II.

RUrsus ades Nympha, inceptum jam perfice munus
O decus Italidum fortunatissima matrum,
Quæ vastas fessæ Italiæ miserata ruinas
Haud dubias pulchrâ spes nobis prole tulisti.
Tu jam læta tuos natos præstantibus ausis
Cœlicolas ipsos suprà se ferre videbis.
Aspice jam quantas ostentet corpore vires
Federicus puer, ut vultu decora alta parentum
Spondeat, ut veniant scintillæ ardentis ab ore,
Flagrantesque micent oculi, utque horrentia semper
Bella sonet, puerique agitet se pectore Mavors:
Jamque adeò nunc arma placent, jam fervidus acri
Gaudet equo, indomitusque animi, cupidusque pericli.
Hunc jam regna Asiæ metuunt, Oriensque subactus,
Gangesque, Tigrisque tremunt, atque Indus Hydaspes.
Sæpe hunc Euphratæ propter vaga flumina Eoæ
Bellantem aspicient multa inter millia matres,
Horrescentque animis hostem, pariterque timebunt
Egregio juveni, cœcoque urentur amore,
Præstanti captæ forma, & juvenilibus annis.
Gaudia mox trepidæ referet tibi quanta revertens
Ultos avos Graium, Solymorumque eruta templa?
Tunc illum, Minci in ripis facta ampla canentes,
Carminibus tollent sublimem ad sydera vates.
Lanificas nos intereà revocamur ad artes.
Frondosæ invitant rursus sub tegmine mori
Seriades, gratáque legunt è fronde coronam:

Quando

Quando nondum ausim laurum sperare superbam,
Aut caput intonsis hederarum innectere ramis.
Ergo age, sarmentis dum se super aurea bombyx
Exercet, nitidumque edit de pectore filum,
Nempe tuæ interea prorsus nihil indiga curæ est,
Dum novies roseus se laverit æquore Titan:
Disce laboranti pecori non pigra mederi,
Tristibus & morbis occurrere. Vos quoque nostri,
Parvæ animæ, exercent per tot discrimina casus,
Vestraque pallentes infestant corpora morbi.
Corruptâ sive illa lues cœli influit aurâ,
Seu vitio infectæ frondis, gens labitur ægra,
Et cœtus subitò serpunt contagia in omnes.
Invadit mors, intereunt data corpora letho,
Et thalamis passim, tetro manantia tabo,
Fusa jacent: perit omne pecus, spes irrita fili.
Dii teneros, Dii vos fœtus arcete periclis,
Cum nondum morbis præsentes omnibus herbas
Monstrarit natura, hominumve industria solers
Nondum morborum causas deprenderit omnes.
Multa tamen, longo quæ nos invenimus usu,
Quæque alii docuere, tibi nunc dicere pergam.
Nil adeò tineis fuerit præsentius ægris,
Quàm subito è medio jucundo lumine cassas
Tollere, ne totam perfusa cadavera tabo
Latius incestent miserando funere gentem:
Nec minus inde tibi tristis contagia cœli
Sit studium vitare; juvat cum lucidus æther,
Cum noctis gelidum Sol rorem sustulit, & cum
Inter se Alpinus Boreas, atque humidus Auster
Pacem agitant, vitro detracto aperire fenestras:
Quove almam lucem aspiciant, quove æthera purum,
Aurarumque leves animas, & frigora captent.
Nempe intrò veniens, Zephyris variantibus, aer
Aera dispellit pigrum novus, & grave olentes
Lustrat, agens sese, thalamos; variatque saluber;

Qui

Qui, nisi mutetur crebrò, corrumpitur; haustusque
Inducit varios reptantum in corpora morbos.
Ceu puteis pigros latices nisi sæpius urnâ
Hauseris, ut subito inde locum novus occupet humor,
Continuo sapor immotæ vitiatur aquai,
Oraque potantum tristis perturbat amaror.
Tum vero ad solem, blandique ad luminis auras
Exultare pecus videas, & corpora luci
Pandere. Non tamen immisso sub sole jacere
Securum fuit, aspiciant sed lumina longe.
Si vero fuerit gelidis Aquilonibus aer
Frigidus aut nimbos spirantibus humidus Austris,
Protinus in thalamos inferri profuit ignes.
Ne tamen infestet lachrymosus lumina fumus,
Ipsos occuluere cavis fornacibus ignes;
Unde aditus fumo sit nusquam in tecta, sed extra
Respirans Vulcanus in aera fumet apertum.
At calor interea placidus diffunditur intus
Paullatim, & tepidi calidâ è fornace vapores.
Sunt etiam quæ, cum nigrescit foetibus arbos,
Incipiunt cum mora rubescere, pabula lecta
Retibus imponunt raris, in perque foratis
Pellibus, in gyrumque agitant, jactantque per auras.
Namque cadunt, veluti per lata foramina grando,
Nigrantes baccæ; vel quicquid inutile mensis,
Et tantùm folia ipsa manent, quòd solvere mollem
Alvum mora ferunt, tristesque inducere morbos,
Præterea liquido respergi corpora olivo
Mors erit exemplò Ah! miseris, lucemque relinquent.
Ergo ubi nocte gregem famulæ, & stabula alta revisent,
Edico procul ardentem deponere testam,
In tenebris ubi pingue oleum de cascitur ignis;
Ne super incautis gutta stillantis olivi
Decidat, ac totos deformet peste penates.
Usque adeò in Venerem longas exercuit iras
Infensam inventrix semper frondentis olivæ.

Exin

Exin cum liquor officiat bombycibus omnis;
Præcipuè sale qui fuerit vitiat s amaro
Cum semel attigerit, miseris erit acre venenum.
Protinus elucet languentibus aurea pellis,
Deinde tument, turpisque animis ignavia venit
Desidibus, tandem rumpuntur, & omnia tetro
Inficiunt tabo: sanies fluit undique membris;
Necquicquam salso Venerem æquore profuit ortam.
Quædam ideò sylvas servant noctesque diesque:
Quandoquidem inventæ salso quæ pabula rore
Invidiâ infecere (scelus prohibete nefandum
Diique Deæque omnes) cæcum & liquere venenum
In sylvis, quod mox foliis bibit inscia bombyx.
Arce etiam strepitus: cantu cava cornua rauco,
Fistulaque horribili procul absit aenea bombo,
Tympanaque, & voces ludentis comprime pubis.
Invalidas sæpe exanimat le e murmur alumnas.
Sed neque tum pueri vastantes irrequietâ
Cuncta manu hic illic, stragemque impunè ferentes,
Jamque has jamque illas digitis dum tangere gaudent,
Intrò ducantur; quos longè arcebis & ultrò
Absistent, ætas si improvida ludificetur.
Verbis falle illos: tineas finge acre venenum
Inspirare animâ, vel spicula linquere caudis;
Atque angues, colubrosque voca, dirosve chelydros.
Observabis item, ne, qui gustaverit allii,
Aut cæpæ, aut acris porri illætabile virus
Introeat, ne res pereat tibi funditus omnis.
Bombycem exanimem vidi sæpe ipse jacere,
Afflatam famula graviter spirantis odore.
Continuò vis illa subit, naresque lacessit,
Intimaque infestum venit ad præcordia virus.
Non igitur cunctis aditus permiseris; illas
Spectatum quicunque adeunt, quis spiritus ollis,
Quis vultus, vocisque sonus, quis euntibus ultrò
Sit gressus, qui oculive, notes. Discrimine nullo

Limine anus omnes monstra infælicia longè
Pelle: nocent cantu tristes oculisque malignis.
Intrò autem tantùm juvenes pulchræque puellæ
Ducendæ, queis forma, ætasque ignara nocendi est.
Hîc impunè choros ducant, alternaque læti
Idaliæ Veneri, ac Saturno carmina dicant.
Quandoquidem memini Tusci altâ in rupe Viterbi
Ipse senem vidisse ferum, cui dira rigebant
Ora, gravesque oculi suffecti sanguine circùm,
Fronsque obscæna situ, hirtique in vertice cani.
Ille truci (scelus) obtutu genus omne necabat
Reptantum, tenues animas, parvasque volantes.
Quinetiam siquando hortos ingressus, ubi annus
Exuit expleto turpem novus orbe senectam,
Floribus & passim per agros incanuit arbor,
Ille hortis stragem dedit, arboribusque ruinam,
Spemque anni agricolæ mœsti flevere caducam.
Nam quocunque aciem horribilem intendisset, ibi omnes
Cernere erat subitò afflatos languescere flores,
Mox album latè nimbum volitare per auras,
Nec tantum noceat raptor ferus Orithyæ,
Si quando iratus malè tutis incubet hortis.
Nostram igitur si forte domum prætermeet olim
Pestis, & ira Deûm talis, cum plurima reptans
Complevit sedes omnes, atque atria circum;
Non illum affari libeat longùmque morari.
Sed properate foras famulæ, properate fenestras
Claudere, pestiferamque avertite lumine cladem.
Jam promissa dies terris lucem intulit almam,
Jam, licet, ingredere; artificum mirare laborem.
Egregium, mirare artes, ut pendula ramis
Omnibus hæserunt varii glomeramina fili:
Qualiter autumni primo cum frigore in hortis
Arboribus pendent haud uno poma colore,
Sic hærent nitidi, vario discrimine, ramis
Folliculi; sunt quæ viridem traxere colorem

E foliis, quæ depasta est Saturnia bombyx,
Fila, auri quædam electrique simillima puri.
Omnibus est reliquis color albi velleris instar.
Ergo ubi per ramos jam perfecisse laborem
Clausas, quamque suum, vigili exploraveris aure:
Atque ubi nec strepitus, nec vim datur amplius ullam
Audiri, sed jam motus requieverit omnis,
Pelle moram, exonera ramos, impone canistris.
Carpe utrâque manu, & famulas properare jubeto.
Primus deinde labos extrema, & inutile quicquid
Lanicii detrahe, & luxuriantia circùm
Vellera, quæ stuppæ veluti nodosa puellæ
Ruris pensa trahunt torquentes pollice fila,
Unde sibi intexant festis gestanda diebus
Tegmina, cum lætas agitant per prata choreas.
Hinc triplex delectus erit; meliora Deorum
Imponunt aris, aliqua in spem gentis, & anni
Venturi ad sobolem servant de more creandam;
Cætera dein varios devolvunt vestis ad usus.
Quæ verò in generis spem vis servare caduci,
Deligito ex omni numero; neglecta quotannis
Degenerat proles magis ac magis, atque propago
Deterior tibi semper erit labentibus annis.
Sed non ob sobolem multos servare necesse est
Folliculos: capitum multorum semina partu
Una dabit mater, centum quæque ova relinquet.
Quos igitur fœturæ habiles provideris,omnes
Connectes ducto per acûs vestigia filo;
Sed parcens leviter terebrato, extremaque tantùm
Tangito acui tenui, ne inclusa cadavera ferro
Ah! violes, & res evertas funditus omnes.
Post hinc consertos ita frigida sub loca conde,
Aut Bacchi in cellâ sub terram, aut sicubi montis
Exesi specus ardenti impenetrabile Phœbo,
Ne calor absumat defuncta cadavera vitâ.
Fata dabant quibus ad jucundum surgere lumen

Rursus

Rursus, & in parvas volucrum se vertere formas,
Cum primum cœlo stellas Aurora fugarit,
Et decies roseos sol laverit æquore currus.
Nam quondam (ut perhibent) cum primos aurea fœtus
Nutriret Venus umbrosis in vallibus Idæ,
Nuda cohors tenerûm circum ludebat Amorum,
Et nunc hîc manibus temerè dare pabula * plenis, * blandis
Nunc illîc tractare levi reptantia tactu
Corpora, Acidaliosque toris diffundere flores.
Dum verò incauti nunc huc, nunc protinus illuc
(Forte parens aberat) studiis puerilibus errant,
Impliciti inter sese altis in cratibus urgent.
Fit strepitus: pontes vastam traxere ruinam,
Lanifici stabula alta gregis: jacet undique bombyx
Fusa solo, exanimûm ingentes (miserabile) acervi.
Quam cladem accepit rediens ubi mater, & omnem
Cæde madere locum vidit procul, & genus omne
Funditus extinctum, totamque ab origine gentem;
Et famulas nusquam sibi, nusquam occurrere natos,
Qui sese abdiderant sylvis, tacitique latebant;
Infælix stetit ingenti perculsa dolore.
Tum furiis acta huc, illuc, clamore supremum
Idalium implevit, natos, famulasque requirens.
Nulla quies animo, noctesque diesque vagatur,
Incassumque gemens solos interrogat agros.
Infernas etiam sedes, atque atria Ditis
Ægra adiit, quò mœstæ animæ post fata feruntur
Squamigerûm pecudum, atque hominum vitæque volantum;
Si fortè ipse sibi patruus, rex maximus Orci,
Annueret paucas animas in tarda reverti
Corpora, ut inde novam sobolem revocaret in auras.
Iamque ibant umbræ tenues Styga circumfusæ
Obscuram, nigrosque lacus, & rauca fluenta.
Tum dominæ adventu lætæ circùm ora volantes
Nondum oblitæ alis plausere, & signa dederunt
Lætitiæ, nondum trans livida flumina vectæ.

Agnovit

Agnovit Venus & secum est lætata repertis.
Quam Saturnius horrentis regnator Averni
Ut procul aspexit, multo est dignatus honore;
Permisitq; animas in corpora tarda reverti
Rursus, ut extinctam sobolem revocaret in auras;
Seminaq; his generis penitùs repararet adempti.
Utq; sequi possent dominam supera alta petentem,
Corporibus geminas renovatis addidit alas.
Hanc legem posuit tamen, ut genus omne quotannis
Alitis in faciem se, post opera atque labores,
Verteret; & nigros Orci bis viseret amnes.
Ut quosdam populos in Hyperboreâ Pallene
Esse ferunt, qui, se ut novies Tritonide in undâ
Merserunt, natis tollantur in aëra pennis.
Nonne vides, cum carceribus exire reclusis
Instant ardentes, quantâ nitantur opum vi?
Clausa obstat domus, & fili densissimus ordo.
Nec mora, nec requies, vestigant omnia circùm,
Explorantq; aditus omnes, si quà potis extrà
Rumpere, & optatæ rursum se reddere luci.
Ecce autem ut rostro follem terebravit acuto,
Protinus erumpit (visu mirabile monstrum)
Alitis in parvæ bombyx collecta figuram,
Et nova se rerum facies mirantibus offert.
Nam quæ longa fuit tinea olim, fit levis alis
Papilio, tineæ pallentes concolor artus.
Ergo carceribus cum rupit multa viam vis,
Et sese cœcis populi eripuere tenebris
Aligeri, atque iterùm lucis venêre sub auras,
Hærent attoniti rerum novitate, neq; audent
Remigio alarum se aperto credere cœlo:
Dissimilesque sui tacitè nova corpora secum
Mirari, formâ nec sese agnoscere in illâ.
Cornua mirantur fronti, mirantur & alas,
Et vires nil supra audent tentare priores
Diffisi, memoresq; sui: sed tum neque gustant

Pabula, nec vitæ quærunt alimenta prioris:
Tantus adhuc memores timor atri detinet Orci.
Nunc etiam ante oculos Styx livida, nigraq; regna,
Tartareiq; canis tria guttura, monstraq; Ditis
Impacata, brevis ne vitæ gaudia quærant.
Idcirco aligeræ neq; frondem suffice genti
Incassum, neque potandos admoveris amnes.
Carpe manu resides, & funibus insidentes,
In tabulamq; refer stratam velamine molli.
Quippe, ubi subtracto se rursùm ad fata vocari
Senserunt victu, turbantur: tum simul omnes,
Excidium veluti cœlo terrisq; propinquum
Immineat, cum supremo mortalia cuncta
Una dies dabit exitio, multosq; per annos
Sustentata ruet perituri machina mundi;
Attoniti dubiis properant succurrere rebus.
Concubitu indulgent omnes, ut semina gentis
Munere defuncti vitæ post fata relinquant,
Et servare genus valeant, stirpemq; tueri.
Nec verò, velut in sylvis genus omne ferarum,
Alituumq; vagos passim furantur amores;
Sed connubia certa, sed electi hymenæi.
Ille suam tenet, illa suum; dulcique fruuntur
Amplexu caudis ambo per mutua nexis,
Instant, & validis juncti compagibus hærent.
Nec Veneris brevis usus erit, vidêre revincti
Quartam sæpe diem: nec quas legêre relinquent,
Donec uterque cadat. Neq; enim si viribus haustus
Mas prior occiderit, longùm tamen ipsa superstes
Fœmina erit; sed ubi concepta effuderit ova,
Nulla mora, amplexu nondum divulsa sequetur.
Idem omni interitus generi fata omnibus æqua.
Aspicies miserans confusa cadavera passim,
Procubuisse toris genialibus: omnia primùm
Sedibus exportato, & tristia funera ducito.
Illis namque operum est cunctorum finis & ævi.

At

At verò quæ infusa vides mantilibus albis
Semina, ceu milii exigui tenuissima coge.
Hæc tibi post annum sobolis spes certa creandæ.
His etenim sese reparat moribunda quotannis
Seminibus, soboleſque venit nova semper ad auras.
Abde domo: his aptam super omnia delige sedem;
Quò neque sint aditus torrenti æstate calori,
Nec Boreæ brumâ in mediâ: contraria vis est
Utraq; seminibus servandis. Frigora dira
Vim genitalem omnem perimunt, frustraq; fovebis
Semen inane: calor verò si admissus in ova
Paulatim sese insinuet, parva est mora, proles
Ante diem superas incassùm rumpet in auras.
Cùm frondes jam consumptæ, cùm pabula sylvæ
Deficiunt; & tonsa comam Thisbæia nudos
Ostentat ramos, populatis frondibus arbor.
Quòd si spes generis defecerit omnis ubique
Seminaq; aruerint Jovis implacabilis irâ;
Sicut apes, teneri reparantur cæde juvenci.
Hîc super accedit tantùm labor. Ante juvencus
Bis denosq; dies, bis denasq; ordine noctes
Graminis arcendus pastu, prohibendus ab undis.
Intereà in stabulis tantùm illi pinguia mori
Sufficiant folia, & lactenti cortice ramus.
Viscera ubi cæsi fuerint liquefacta, videbis
Bombycem fractis condensum erumpere costis,
Atque globos toto tinearum effervere tergo,
Et veluti putres passim concrescere fungos:
Quod superest, moneo generis tibi semina sunto
Annua: degenerant supra annum condita, & inde
Omnis abit vigor, atque intus vitalis hebet vis.
Tum verò lætas exercent fila puellas,
Haud brevis hic labor, exhausti cui nil satis unquam,
Dum redeat moro attonsæ nova vere juventus.
Folliculos primùm domitant ferventibus undis,
Filaque devolvunt nigris fumantia aenis.

 Tum

Tum currente rotâ torquent, eademque retorquent,
Stamineque implicito cura est dissolvere nodos.
Hinc vocat extremum tandem textura laborem;
Intenduntque nurus discretas pectine telas
Multifido, radiisque sonantibus intertexunt
Jactantes dextra, lævaque, sequentia fila:
Alternisque suus pedibus labor additus, atque
Desuper acta gemit tereti rota garrula nervo.
Nec mora, certantes properant, falluntque laborem
Aut cantu, aut Veneris curæ narrantur inanes.
Nec modus est simplex texendi; nec genus unum
Telarum; nunc rasa vides, & lævia texta;
Nunc pexis, leviterque attonsis mollia villis.
Qüinetiam varios tenui sub tegmine pingunt
Nexilibus flores hederis, sylvasque virentes,
Pomaque graminaque, & cervos capreasque fugaces.
Adde velut nebulas tenues velamina textu
Rara, quibus matres crines, & tempora velant;
In templisque Deûm prohibent à pulvere vultus.
Vidi etiam varium quæ mutant texta colorem,
Eluduntque oculos, ut discolor aura refulsit.
Quid sequar ulterius? nil vis humana reliquit
Intactum; filum tunicis includitur aureis,
Indutæque rigent fulvo sub tegmine vestes:
Ut quondam Phryxi de finibus Æeteis
Vecta ovis aurato fulgebat pectora villo,
Pectoraque, & pexo pallentia terga metallo:
Et dubitant matres pinguem serere undique morum,
Aut inter teneras bombycem ferre papillas?
Qud mirum, si jam totum diffusa per orbem
Saturni & Veneris pascunt pecora aurea gentes?
Mollia nec soli noverunt stamina Seres.
Lanivomum ipsa genus, Saturni munere magno,
Jamdudum super Idalium, super alta Cythera
Transtulit & Venus, & nostras penetravit ad oras.

Quippe

Quippe olim (sed fama annis obscura) regebat
Fælices Serûs læti ditissimus agri
Serius, antiquo patriæ de nomine dictus.
Mox acri infælix Phaethusæ incensus amore
Italiam petiit; postquàm illam ad flumina magni
Audiit Eridani correptum fulmine fratrem
Flere diem, noctemque, Jovis fera tela querentem.
Sed vix Ausonios fines, Oenotriaque arva
Attigerat, novus ecce illi cum perculit aures
Rumor, virgineam formam amisisse puellam,
Protinus & longos ad cœlum tendere ramos
Pro manibus, duroque includi pectora libro.
Ah miseram! subito stetit acri corda dolore
Saucius insignemque à pectore rupit amictum,
Pictus acu molles tunicas, opera aurea Serum.
Tum viridi in ripa, charæ sub virginis umbra
Implevit cœlum questu, dilectaque frustra
Robora complexus tereti dabat oscula ligno,
Et tenero ereptos in cortice flebat amores
Infælix: Non sceptra animum, non regna parentum
Alta movere queunt, nec opimæ copia gazæ:
In patriam negat ire, placet tantùm Itala tellus:
Nec procul Eridani ripis absistit, & omnem
Vitam agit in lachrymis Bis senos ordine menses.
Illum adeò perhibent solos flevisse per agros,
Et tandem superos extrema voce precatum,
Neve oculis lachrymæ, neu deesset luctibus humor
Perpetuus; superis quæ vota audita repentè.
Perstat in incœpto; gemitu nemora omnia complet;
Non oculis lachrymæ, non desit luctibus humor.
Solvunt se in lachrymas artus, & corpore toto
Liquitur humor, abitque omnis conversus in undas;
Fit fluvius, cursuque brevissimus exit in alveum,
Addua magne, tuum, & tecum in vada solvitur alti
Eridani, atque pedes Phaethusæ humectat amatæ,
Flumine turrigeræ radens sata culta Cremonæ.

Mansit amor, veteres amni mansere calores.
Sæpe illum fama est clausam sub cortice Nympham
Tentasse, optatum mox ascendisse cubile.
Tandem juncta Dryas fluvio est, licitisque hymenæis
Egressam ruptâ Divam Deus arbore duxit;
Cui picturatas vario subtegmine vestes,
Illusasque auro tunicas, & tenuia lætæ
Texta dedit missa à patriis sibi munera terris.
Paucaque prætereà bombycis semina donis
Addidit, ostendens hujus quis muneris usus.
Ipsa eadem egregias, longo pòst tempore natas,
Seriadas docuit patris de nomine dictas.
Mox illæ Ausonias passim spargere per urbes,
Et morum umbrosam latos sevêre per agros;
Unde Sacri viridem vates petiere coronam,
Et meritis gratas sibi devinxere puellas.

JO.

JO. JOVIANI PONTANI.

Ad Bacchum.

NUnc hederis, sertisque novos innecte corymbos,
Nunc tua circumdent tempora, Bacche, rosæ.
Nunc viridis flavas suspendat pampinus uvas;
Ingeminetq; novas ebria mensa dapes.
Nam mea, Parnassi rediens è collibus, audet
Ludere Romanis Calliopea modis:
Inq; choro juvenum molli saltante puellâ,
Sopitos longo tempore ferre sales:
Aoniumque movet circum tua pocula plectrum,
Evohe Bacche, canens; ad tua festa veni.
Tu quoque nobilibus pretium jam, Laure, poetis,
Laure, tuum nobis porrige fronde decus.
Et mea Phœbeis ornentur tempora sertis,
Ut merear nomen vatis habere novi.
Stultus ego, fieri credam qui fronde poetam!
Non Laurus vatem sed sua Musa facit.

ANGELI POLITIANI.

De Alcone & Serpente.

VIdit ut implicitum puero pater anxius anguem,
Intendit dubiâ cornua flexa manu:
Inque feræ fauces calamum sic torsit, ut audax
Terruerit natum non minus angue senex.
Sed nunquam pius errat amor: puer hoste perempto
Salvus erat; stupuit morte dirempta salus.
Victor ab hâc pharetram quercu suspendit, & arcum
Fortunæ, atque artis sic monumenta suæ.

LUDOVICI

LUDOVICI AREOSTI.

De diversis amoribus.

EST mea nunc Glycere; mea nunc est cura Lycoris;
Lyda modò meus est; est modò Phyllis amor.
Primas Gaura faces renovat, movet Hybla recentes,
Mox cessura igni Gaura, vel Hybla novo.
Nec mihi diverso, nec eodem tempore sæpe
Centum vesano sunt in amore satis.
Ut sum si placeo, me me sic urere Virgo,
Seu grata es, seu jam grata futura mihi.
Hoc olim ingenio vitales hausimus auras,
Multa citò ut placeant displicitura brevi.
Non in amore modo mens hæc, sed in omnibus impar
Ipsa sibi longâ non retinenda morâ,
Sæpe eadem Auroræ roseâ surgente quadrigâ
Non est, quæ fuerat sole cadente mihi.
O quot tentatas illa est versata per artes
Festivum impatiens rettulit unde pedem,
Cum primùm longos posui de more capillos,
Estq; mihi primum tradita pura toga.
Hæc mihi verbosas suasit perdiscere leges,
Amplaque clamosi quærere lucra fori.
Atque eadem optatam sperantem attingere metam,
Non ultrà passa est improba ferre pedem,
Meque ad Parnassum vocat, Aoniamq; Aganippen,
Aptaque virgineis mollia prata choris.
Meque jubet docto vitam perducere cantu,
Per nemora illa avidis non adeunda viris.
Jamque acies, jam facta ducum, jam fortia Martis
Concipit æternâ bella canenda tuba.
Ecce iterum malè sana, inquit, quid inutile tento
Hoc studium? vatem præmia nulla manent.

Meque

Meque aulæ cogit dominam tentare potentem
    Fortunam obsequio servitioque gravi.
Mox ubi pertæsum est male grati principis, illam
    Non tulit hîc resides longùs ire moras.
Laudat & æratis ut eam spectabilis armis,
    Et meream forti conspiciendus equo.
Et mihi sunt aptæ vires, patiensque laborum
    Corpus & has possunt tela decere manus.
Nec mora bellator sonipes, & cuncta parantur
    Instrumenta acri commoda militiæ.
Iratusque pio celebri sub principe miles
    Expecto horrisonæ Martia signa tubæ.
Jam neque castra placent, rursus nec classica nobis,
    Ite procul Getici tela cruenta Dei.
Humanóne trucem fœdabo sanguine dextram,
    Ut meus assiduo sub bove crescat ager?
Ut breve mortis iter sternam mihi, ut horridus umbram
    Horreat immitem portitor ipse meam?
Atque aliquis placidâ aspiciens à sede piorum
    Me procul Eumenidum verbera sæva pati;
En qui Musarum liquit grata otia, dicat,
    Anxius ut raperet munere Martis opes.
Manibus & sociis narret me digna subisse
    Supplicia, haud ullâ diminuenda die?
Antra mihi placeant potius, montesque supini,
    Vividaque irriguis gramina semper aquis:
Et Satyros inter celebres Dryadasque puellas
    Plectra mihi digitos, fistula labra terat.
Dum vaga mens aliud poscat, procul este Catenes,
    Este, quibus parili vita tenore fluit:
Quos labor angat, iter cupientes limite certo
    Ire sub instabili cuncta novante polo.
Me mea nobilitas senio dedecat inerti,
    Dum sint dia haud desint, quæ variata juvent.
Me miserum quod in hoc non sum mutabilis uno,
    Quando me assiduâ compede vincit amor.

Et nunc Hybla licet, nunc ſit mea cura Lycoris,
Et te, Phryna, modo, te modo, Lyda velim:
Aut Claram aut Glycerem, aut unam, aut ſæpè ducentas
Depeream; igne tamen perpete ſemper amo.

Ad Petrum Bembum.

Me tacitum perferre meæ peccata puellæ?
Me mihi rivalem prænituiſſe pati?
Cur non vi patiarque fodi mea viſcera ferro,
Diſſimulato etiam, Bembe, dolore jubes?
Quin cor, quin oculoſque meos, quin erue vel quod
Charius eſt, ſi quid charius eſſe poteſt.
Deficientem animam, quod vis, tolerare jubeto:
Dum ſuperet dominæ, me moriente, fides.
Obſequiis alius faciles ſibi quærat amores,
Cautius & vitet tetrica verba nece,
Qui ſpectare ſuæ valeat ſecurus amicæ
Non intellecta livida colla nota.
Quique externa toro minimè veſtigia pendat,
Dum ſibi ſit potior parve in amore locus.
Me potiùs fugiat, nullis mollita querelis,
Dum ſimilet reliquos Lydia dura procos.
Parte carere omni malo, quàm admittere quenquam,
In partem: cupiat Jupiter, ipſe regem.
Tecum ego mancipiis, menſa, lare, veſtibus utar;
Communi ſed non utar amice toro.
Cur ea mens mihi ſit, quæris fortaſſe, tuaque
Victum iri facili me ratione putas.
Ah! pereat qui in amore poteſt rationibus uti,
Ah! pereat qui ni perditè amare poteſt!
Quid deceat, quid non; videant quibus integra mens eſt:
Sat mihi, ſat dominam poſſe videre meam.

ACTII SYNCERI SANNAZARII

Ad Amicam.

NUlla meos poterit mulier prævertere sensus,
Ipsa licet cœlum linquat, & astra Venus.
Tu puero teneris ignis mihi primus ab annis;
Ultima tu tremulo flamma futura seni.
Jam sanxere semel nos inter fœdera Divi,
Fœdera ad extremos non solvenda rogos:
Ut si nostra tuæ superesset funere vita,
(Dii tamen in ventos omen abire sinant)
Ipse ego composito venerarer operta sepulcro
Ossa, ferens mæstâ thura, merumque manu:
Umbrarumque sacer custos, tumulique sacerdos,
Concinerem querula tristia verba lyra.
Nec me complexa quisquam divelleret urna,
Quin cineri moriens oscula summa darem.
At (si quod potius cupio) tibi fata dedissent
Lumina formosa condere nostra manu:
Tunc mihi cum charos vultus spectare liceret,
Atque anima tecum jam fugiente loqui:
Ipsa meos tumulo manes laniata vocares,
Inque tuo legeres ossa minuta sinu:
Flebilis & longos scindens ad busta capillos,
Clamares nomen jam moritura meum:
Tum cineri et mutæ persolvens justa favillæ,
Mista dares rutilis lilia cana rosis.
Illic mœsta dies, illic consumere noctes
Optares, nec te vinceret alter Amor
Sed memorusque viri canis veneranda capillis,
Ad ferres tremula munera chara manu.
O mihi dum tales tumulo reddantur honores,
Tam lentam Lachesis scindat avara colum,

Non,

Non ut nostra novos Arabum bibat urna liquores,
Ustus et Assyrio spiret odore cinis:
Aut ut clara mei notescat fama sepulchri,
Altaque marmoreus sydera tangat apex:
Sed magis ut liceat longas audire querelas,
Et gerere e lachrymis serta rigata tuis.
Tunc ego Letheæ spatiatus in aggere ripæ,
Quà nitet obtuso lumine falsa dies,
Quaque levis Casiæ nemus, Ambrosiæque virentis,
Et fortunatos abluit unda greges:
Dulcia præteritæ repetens insomnia vitæ,
Ostendam Elysijs tot mea dona choris;
Felicesque animas inter felicior ipse
Excipiam plausus, læta per arva, novos.
Atque aliquis comitum, lætusque, hilarisque recentes
Sparget humi flores, & mihi serta feret.
Nec contentus eo; fidos extollet amores,
Narrabitque alijs de pietate tua.
Sed Quoniam teneræ vernant nunc læta juventæ
Tempora, & amplexus jungere fata sinunt:
Dulcia lasciro jungamus gaudia lecto;
Jam properat mortis panda senecta comes;
Jam properant rugæque graves, & serior ætas:
Nec dabitur molli ludere posse toro.
Intereà cupidis nectamus colla lacertis;
Ultima jam solvet cum volet, hora duos.
Dij facite, hæc longos maneat spes certa per annos;
Candidus et pennis omnia firmet Amor.

IN DOMINÆ NATALEM.

Ad Junonem.

JUnoni fer ſacra; novas lege Muſa coronas;
Natalis Dominæ jam mihi feſtus adeſt.
Ipſa ſed inprimis ſolennes indue cultus,
Et mihi purpurea tempora cinge roſâ.
Utque aliquid gratas Divæ meditemur ad aras,
Affer inauratæ garrula plectra lyræ.
Tu quoque, Vita, tuos auro ſubnecte capillos:
Plurimaque in niveo pectore gemma micet.
Hæc mihi te, mea lux, ſeros promiſit in annos,
Hæc mihi te certam juſſit habere dies.
Quanta mihi hâc primum fulſerunt gaudia luce?
Quantus in hoc uno tempore venit honos?
O mihi Erythræis meritò ſignanda lapillis;
O mihi delicias inter habenda meas.
Quiſquis ades, bona verba, & lætos edite cantus,
Libaque de Siculo dulcia mella date.
Alba mihi veſtis nullo violata veneno
Adſit, & in geminos defluat apta pedes:
Ante aram viridi texant umbracula quercu
Formoſis Dryades, ruſtica turba comis.
Phœbus odoratâ circùm tegat atria lauru:
At myrto duplices tu Cytheræa fores.
Ipſa Arabum merces Niſeia turba miniſtret:
Lenæuſque ferat Naxia vina Pater.
Omnia ſint lætis operata ex ordine ſacris;
Et cœlum niveis conſtrepat alitibus.

Magna parens Juno, centum comitata ministris,
Huc ades, & votis annue Diva meis.
Vos quoque per vacuum quæ ludites aera, Nymphæ,
Cingite fœlici nubila summa choro.
Scilicet eventus hæc sint bona signa futuri;
Hæc eadem plenæ nuncia lætitiæ.
Ipse ego vestra sequar jucundo gaudia plausu,
Et peragam varios ore, manuque modos:
Quin etiam sertis, & thure calentibus aris
Excipiam sanctâ Numina vestra die.
At tu, Natalis, nullos non fauste per annos,
Semper honorata luce serenus eas.
Quodque opto, innumeras (siquid prece posse putamur)
Cumeæ vincas vatis Olympiadas.

Dies Genialis.

AUreli, perfunde meis unguenta capillis
Tu super, & vernas sparge, Nearche, rosas:
Sed priùs æstivum ramis defendite solem,
Et viridi mollem sternite fronde torum.
Non plumæ, non picta juvant me stragula, nec quæ
Pavonis vario sponda colore nitet.
Larga coronatâ disponite pocula mensâ,
Setino & gelidas adsociate nives:
Certatimque leves potanti inducite somnos.
Sic juvat ætatis ducere fila meæ,
An scimus miseri, quid lux ventura minetur?
Vivamus: mortem fallere nemo potest.

De

De mirabili urbe Venetiis.

Viderat Adriacis Venetam, Neptunus in undis
Stare urbem, & toto ponere jura mari;
Nunc mihi Tarpeias quantumvis Jupiter arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tibrim præfers, urbem adspice utramque:
Illam homines dices, hanc posuisse Deos.

JANI ETRUSCI

Ad Amicam.

Noctis ubi trepidis jucundior hora puellis
Ducet Acidaliis tempora grata jocis,
Te, mea cura, petam per sæva pericula tutus:
Nox, animos facient Bacchus amorque mihi.
Ipsa cave resonent revoluto cardine postes,
Porta breve excipiet semiadaperta latus.
Cum primum attigero tacitis genialia plantis
Limina, sis collo sarcina grata meo.
Hàc illàc hederæ ut cingunt arbusta tenaces,
Implicer amplexu sic, mea vita, tuo.
Nil tibi non liceat; sed me quoque nequior ipso
Brachia fer collo sæpe iterata meo.
Uvidulisque premas longum mea labra labellis,
Multaque des nobis oscula, multa feras.
Et modò sint ullo properata sine ordine raptim,
Et modò sint longâ basia ducta morâ:

Sævitiâ facili quæ nunc exacta negato,
Cum poscente magis te juvet illa rapi.
Interdum tua lascivo luctamine lingua
Hæc furtim nobis occupet eripere.
Oraque non dubites morsu læsisse protervo:
Sit mea, sit cervix livida dente tua.
Lentaque non jaceat pars corporis ulla: vagetur
Hinc illinc cursu liberiore manus.
Utque oculi primùm tremulo fulgore micantes
Accensæ Veneris conscia signa ferent;
Cum cupiens paritèr cupidum, mea vita, videbis;
Et placidam in pugnam mutuus ardor aget:
Nequitias tunc ipsa omnes exprome, jocosque;
Ipse jocos omnes, nequitiasque dabo.
Sæpius invitum cogas, renuasque volentem,
Desque recusanti, sæpè rogata neges.
Atque modò querulum lachrymis testere dolorem,
Et nobis tangi te vetet ille diù.
Me voces audire juvet modo gaudia fassas;
Perspicuusque tuo risus in ore sonet.
Inque modos omnes dulces imitere figuras,
Dum subeat blandus lumina victa sopor.
Tunc etiam menti lascivia nostra recurset.
Subjiciatque mihi gaudia ficta quies.

Cujusmodi cupit post vitam tumulum.

Non mihi fornicibus Pariis, Graiæque Caristus
Visceribus cæsus contegat ossa lapis.
Nec tumulum exornent operosi munere cœli
In varias facies marmora ficta meum.
Sed postquam effœtum corpus lucemque perosa
Exierit campos vita sub aerios:

Tunc

Tunc teneri cineres, supremaque busta poetæ
　Obruat exiguo cespite mollis humus.
Tunc ego, gleba licet, studii non immemor acti,
　Consona quò vitæ sint sua fata meæ:
Consurgam Veneri gratus de cespite truncus,
　Et fiam patulis myrtus opaca comis.
Cui dabit inferias & adorea liba quotannis
　Cum socio veniens culta puella tori.
Et circa tumulum gressu ter plaudet ovanti
　Ad calami raucos enthea turba modos.
Et dicent: cujus cinis hâc tellure quiescit
　Magnus amator erat, magnus amator obît.
Teligeri fuit ille Dei, Venerisque sacerdos:
　Et cujus fuerat nos quoque turba sumus.
Turba sumus Veneris; Veneris juvat ergo poetæ
　Dicere terra precor non gravis ossa premat,
Fronde meâ pingues dum tondent gramina vaccæ,
　Pastor ab æstivo sydere tutus erit.
Et placidam flavæ formam cantabit amicæ
　Disparibus modulans carmen arundinibus.
Fors & amatoris frondes succedet easdem
　Expugnata sui mollis amica prece.
Blandaque carminibus interserit oscula gratis,
　Oscula vel cineres apta movere meos.
Tunc ego ramosas diffundam lætior umbras;
　Signaque lætitiæ frons manifesta feret,
Splendidiusque virens testabor gaudia; crescet
　Luxuria illorum tunc mihi luxuria.
Illa ego, quæ fuero baccis modò myrtus amaris,
　Attica tum vincam mella sapore novo.
Non erit invidiæ mihi formosus Cyparissus,
　Thessalis aut Clario cruda puella deo.

TITI STROZÆ FERRARIENSIS

Ad annulum ab amica datum.

ANnule dulce mihi dilectæ munus amicæ,
Annule delicias inter habende meas;
Tu licet excellas auro pretiosus, & aptè
Gemma sit artifici clausa magisterio;
Est aliquid, mihi quo meruisti gratior esse;
Scilicet in nivea, te tulit illa manu.
Illa etiam dono cum te mihi tradere vellet,
Inprimis monuit, quam sibi charus eras.
Mecum igitur semper noctesque diesque manebis;
Mille tibi amplexus, oscula mille feram.
Inque sinu ponere, manus dum nostra lavatur;
Invida ne nitidum te mihi lædat aqua.
Tu modò, læva, cave commissum perdere pignus,
Siqua hoc mandantis gratia tangit heri.

Ad Amicam.

SI levior foliis, auraque incertior essem,
Et flueret modico tempore nostra fides;
Non ego tam longo constans in amore fuissem,
Ire nec assiduas cogerer in lacrymas.
Nec graciles adeo macies consumeret artus,
Nec mea mutaret pallidus ora color.
Sed vos decipere incautos didicistis amantes;
Et queritur lædi, fallere siqua parat.

TU,

Tu, me infœlicem formosam Lotida narras,
Et Marcotinidem præposuisse tibi.
Has ego dispeream, si præter nomina novi;
Tardaque & infido sit mihi dura Venus.
Téne ego desertâ potuissem ducere vitam?
Hæc Iope quamvis, Inachis illa foret?
Non sum, quem valeant aliæ mutare puellæ,
Nec meus incertis passibus errat Amor.
Huc cursum tenui; tu portus es, anchora nostra hîc
Hæreat, hinc nullis fluctibus ejiciar.

HERCULIS STROZÆ.

Amorem sibi celandam.

URor, iô, sævas remove, Puer improbe, flammas,
Uror; & ulteriùs mens nequit ægra pati.
Pectoris arcanos nihil est quod temperet æstus,
Causa sed exitio quælibet apta meo.
Seu mihi sydereæ subeunt fastigia frontis,
Seu, Veneris quales non reor esse, comæ,
Seu magis arguti vires admiror ocelli,
Labrave purpureis anteferenda rosis.
Seu similes ebori dentes, & eburnea colla
Seu nivei recolo munera rara sinûs,
Seu læves humeros, seu castigata voluto
Ilia, seu longam præniveamque manum.
Deniq; seu decor objicitur, seu gratia morum
Mille Venus-causas, unde fatiget, habet;
Nec suspirandi locus est, pœnamque fatendi;
Una datur lachrymis conscia sylva meis.
Hîc quoque vix ausim tenues effundere questus,
Dum timeo intentis auribus esse rubos.

Namque

Namque & Hamadryadas cognata vivere quercu,
    Naiadas & liquido vivere fonte ferunt.
Quin viridi occulta ſignavi in cortice nomen;
    Abrado invita chara elementa manu.
Ergo graves ſemper taciti celabimus ignes?
    Quamque ferat nobis, non ſciet ullus opem?
Mitius eſt ſubita fatum ſubiiſſe ſecuri,
    Inter & hoſtiles oppetiiſſe manus.
Mille neces unà patimur, ſemperque fatigat
    Sævius, impatiens carceris acer amor.
Sueverat huc illuc levibus divertere pennis,
    Ducere nec longas in ſtatione moras.
Jam bis in Elæo certarunt pulvere currus,
    Pectore diſceſſit nec tamen ille meo;
Signa nec ulla dedi populantis corda doloris:
    Mille faces conſtans, ſpicula mille tuli.
Qui bene diſſimulat, quos diſſimulavimus, ignes;
    Militet in caſtris, magne Cupido, tuis.
Et tua littorea redimitus tempora myrto,
    Signa triumphales præferat ante rotas.
Sed mihi quid proſunt artes? ſi ſemen arenæ
    Creditur, & ſterilis nil mihi reddit ager?
Tot mala perpeſſo, vix contigit oſcula furtim
    Carpere, blanditias nec ſeruiſſe datum eſt.
Sæpè quidem licuit, per cauſam, tangere dextram,
    Clamque pedem tenero compoſuiſſe pedi.
Tum magis inde meis paſſim bacchata medullis
    Flamma gravaturum continuavit onus.
Et niſi quod graciles ſpes credula nutriit artus,
    Jam niger hauſiſſet corpus inane rogus.
Vix manet; umbra pedes, umbra eſt hoc debile corpus;
    Ante quod optavit multa puella ſibi
Nec tamen æquoreâ maciem de compede traxi,
    Membra Promethæis nec tenuata malis.
Hoc Dominæ crimen, cujus de fronte Cupido
    In mea ferventi conjicit oſſa faces.

Non me Sicanius flammaverit acrius ignis
Quam Dominæ, roſeo qui micat ore nitor.
Sed tacito flammas ſub pectore ferre neceſſe eſt;
Vulnera ni fruſtrà ſuſtinuiſſe velim;
Poſt Hyadas ſperat geminorum ſydera fratrum,
Nec timet iratas navita doctus aquas.
Sic mihi poſt longos requies ſperanda labores,
Ulla nec inceptum cauſa moretur iter.
Tu, Dea, tu tantùm præſens mea vota ſecunda;
Ipſa dabis faciles duro in amore vias.

In Amorem.

IMprobe cùm ſolitâ careant mea pectora flammâ,
Quid nocturna mihi bella minaris Amor?
Sit ſatis hyberni glacialia frigora cœli
Non ſemel ad duras ſuſtinuiſſe fores.
Sint probroſa ſatis obſcuræ jurgia noctis,
Totque mihi vacuos præteriiſſe dies.
Pubenteſque ſatis tibi ſit potuiſſe per annos
Preſſa ſub immerito colla tenere jugo.
I procul, haud tanti fuerint tua dona Cupido,
Ut mihi non pluris ſit ſupereſſe diú.
Et ſatius fuerit veterum monumenta virorum
Volvere quam turpi velle in amore mori.
Ne piget igne meo quenquam torquere pudetque
Me dominæ, & populo ſæpe fuiſſe jocum.
Turpia præ teritæ cognoſcere facta juventæ
Nunc, licet invitus, præſtitit acer amor.
Vindice me varios liceat tibi quærere amantes
Cognita carminibus Parthenopæa meis.
Mutua ne dubites nutu dare ſigna loquaci,
Et miſeros verbis detinuiſſe procos.

Me coram liceat miſſas tractare tabellas,
    Pluraque rivali munera ferre meo,
Ceſſit enim ſolitus tepefactis ſenſibus ardor,
    Nec me, qui demens egerat, error agit.
Frigidus eſt calor ille, cinis licet æſtuet intus,
    Qui me ſollicitum fecerat eſſe, Deus.
Hinc Deus, hinc ratio dubiis ſub ſenſibus hærent,
    Vique ſimul certat ille, vel illa pari.
Sed tamen incumbet ſtabili ratione Cupido,
    Si datur æthereos vincere poſſe deos.

SELECTA POEMATA ITALORUM.

PARS III.

Ex M. ANT. FLAMINIO Excerpta Carmina.

ODE I.

Ad Agellum suum.

UMbræ frigidulæ, arborum susurri,
Antra roscida, discolore picta
Tellus gramine, fontium loquaces
Lymphæ; garrulæ aves, amica Musis
Otia: ô mihi si volare vestrum
In sinum superi annuant benigni:
Si dulci liceat frui recessu,
Et nunc ludere versibus jocosis,
Nunc somnum virides sequi per umbras,

Nunc

Nunc mulgere manu meâ capellam,
Lacteóque liquore membra ſicca
Irrigare per æſtum, & æſtuoſis
Curis dicere plurimam ſalutem.
O quæ tunc mihi vita, quàm beata,
Quàm vitæ ſimilis foret deorum?
At vos ô Heliconiæ puellæ,
Queis fontes, & amœna rura cordi,
Si ch rà mihi luce chariores
Eſtis, jam miſereſcite obſecrantis;
Meque urbis ſtrepitu tumultuoſæ
Ereptum, in placido locate agello.

ODE II.

Ad Eundem.

VEnuſte agelle, tuque pulchra villula,
Mei parentis optimi
Olim voluptas & quies gratiſſima
Fuiſtis: at ſimul ſenex
Terras reliquit, & beatas celitûm
Petivit oras, incola
Vos alter occupavit, atque ferreus
Amabili veſtro ſinu
Me lacrymantem ejecit, & charis procul
Abire juſſit finibus.
At nunc, amica rura, vos reddit mihi
Farneſii benignitas.
Jam vos reviſam, jam juvabit arbores
Manu paternâ conſitas
Videre, jam libebit in cubiculo
Molles inire ſomnulos,

Gaudete

Gaudete fontes, rivulique limpidi;
Heri vetusti filius
Jamjam propinquat, vosque dulci fistulâ
Mulcebit, illâ fistulâ
Quam vestro Iolæ donat Alcon maximus,
Ut inclyti Farnesii
Laudes canentem Naiadum pulcher chorus
Miretur, & Pan capripes.

ODE III.

Ad Antonium Mirandulam.

ANtoni venerande, anima mihi charior ipsa,
Romámne semper incoles?
Te nec avaritiæ morbus, nec fervida honorum
In urbe detinet sitis.
Vis igitur properemus ubi Donadula Musis
Amica præbet otia?
Hunc agrum dat habere tibi Farnesius heros,
Quo nil amœnius, neque
Fertilius, Baccho & Cereri gratissima tellus,
Togata cernit Gallia.
Has age delicias, & dulcia rura petamus,
Quo pulcher Autumnus vocat,
Et Bacchus pater, & virides Pomona per herbas
Cum Gratiis ducens choros.
Jam videor tecum patulâ projectus in umbrâ
Ad lucidi fontis caput,
Discere nubigenam quæ mille coloribus Irim
Vis pingat, imbris nuntiam:
Cur cadat æstivo glacialis sydere grando,
Quis tantus excitet furor

Ventos, horrisonas curvato gurgite ut undis
Ad alta mittant sydera:
Altera cur auro tellus fluat, altera ferro,
At illa gemmis splendeat.
Felix qui rerum causas, Mirandula, nôsti,
Et eleganter explicas.
Tu docti pridem malè culta vireta Lycæi,
Post longa primus secula
Efficis, ut prisco reviresçant more; quod omnis
Miretur ætas postera,
Teque parem dicat magnis Heroibus illis,
Quos ipsa Pallas artibus
Erudiens claris, dat adhùc splendere per orbem,
Ut pulchra cœli lumina.

ODE IV.

Ad suavissimum sodalem suum.

SEnex palustribus loquacior ranis,
Turbâque semper garrulâ cicadarum,
Tu nunc relictis villulis Capenatûm,
Sinu Bononiæ educaris in dulci,
Qua civitate delicatior nulla est:
Vitamque lætam vivis atque felicem,
Fruens Moreno strénuoque Cervino,
Quos publicarum cura nobilis rerum,
Ardensq; ad alta sydera evehit virtus.
At quum reversus ad tuos agros tristi
Silentio miser otioque marcesces,
O quàm vicem tuam dolebis! Et cœli
Lucem nitentem quàm videbis invitus!
Quum vita morte jam videbitur pejor,
Senex dicacule, & facete nugator,
Festivitatis magne amator urbanæ,

Dic, caprimulgos, inter atque fossores,
Et senticosa rura gentis insulsæ
Quid dulce poterit esse, quidve jucundum?
Cum quo jocando tunc dabitur ineptire?
Quis elegantes ventitabit ad cœnas?
Cui post Falerna vina, de malo & sacro
Libro venena versuum propinabis?
Megæra, non Camœna quos tibi dictat,
Ut iis acerba pestilentior peste
Tuos sodales enecces, quibus centum
Abesse millia passuum nihil prodest.
Nam charta tetro infecta carminum tabo,
Quam sæpe doni maximi loco mittis,
Modis legentûm corda polluit miris,
Ut liberare languidos suis succis
Nec ipse Phœbus, ipsa nec salus possit.
At tu poeta lethifer tuos quæso
Amiculos ne perde peste tam dirâ,
Sed pessimis jam pone versibus finem:
Sævire vel si pergis, hostibus sævi.

ODE V.

CATELLA

Ad Reginaldum Polum.

Cur me, Pole, tuâ venire ad urbem
Lecticâ prohibes? tuæ quid (oro)
Summæ participem benignitatis
Esse non pateris? Canes bonorum
Heroum comites fuere semper:
Et cœlum canis incolit supremum
Inter sydera: nec polus, beata
Sedes cœlicolûm, suam catellam

 Dedigna-

Dedignatur habere ſecum: at ipſa
Sum deſpecta tibi, nec unum apud te
Angulum valeo impetrare. Verùm
Si noſtram vacet æſtimare formam,
Non indigna tuo favore credar.
Eſt pilus mihi lucidus, venuſtæ
Pendent auriculæ, nigris ocellis,
Et caudæ placeo jubis comatæ.
Nec ſum corpore vaſta, nec figurâ
Tam brevi, ut videar puellularum
Comes dignior eſſe quàm virorum:
Nec turpi ſcabie laboro, nec ſunt
Inviſi pulices mihi moleſti.
Nec ſum prorsùs inutilis futura,
Si laſſam recreas vehiſque tecum.
Nam pedes tibi ſuaviter fovebo,
Qui jam frigoribus rigent acutis.
Nec verò timeas, luto refertâ
Quod viâ aſſiduè ambularim: amicus
Et cliens tuus optimus Morilla
Me ſuis manibus piè ac benignè
Puro flumine ter quaterque lavit:
Et mundâ dedit eſſe mundiorem
Sponsâ, quam bona mater ad maritum
Vult deducere nuptiis paratis.
Quod ſi non ſatis hæc videntur eſſe
Ad flectendum animum tuum, catelli,
Ah! nimis miſeri mei catelli
Te precor moveant; tenella pleno
Quos geſtans utreo, pedes movere
Vix queo amplius; & tamen neceſſe eſt
Milliaria ſingulis diebus
Multa conficiam miſella, ni te
Volo linquere: ſed prius vel iſtis
Optem filiolis meis ſepulchrum
Fiant viſcera matris, ipſa præda

Optarim

Optarim prius esse vel luporum,
Quàm te, maxime Pole, derelinquam.

ODE VI.

Ad Galeatium Florimontium Philalethem.

HUc ades Galatee; quid moraris?
  Est brevis via, sæpiusque dicis,
Cràs ad vos veniam, boni sodales:
Nec venis tamen. An putas licere
Amicis dare verba? nos pudendum,
Et contra officium, tuoque bello
Id cognomine prorsus arbitramur
Indignum; hoc nisi vis ineptè abuti.
Huc ades Galatee; quid moraris?
  Remiges Ithaci vagantis olim
Lotos detinuit Libyssa in ora:
Ut mulctralibus hæret usque & usque
Musca lactis amore, te, beate
Senex, quæ retinet domi voluptas?
Ecquid delicias tuæ Suessæ
Præfers deliciis mei Casertæ?
Deliras Galatee: nam Suessâ
Longè pulchrior est, amœniorque
Campanæ regionis hic ocellus;
Quem jocis comitata Gratiisque
Venus, posthabita Cnido, Paphoque,
Semper incolit; & suos amores,
Suas delicias fatetur; ergo
Huc ades Galatee; quid moraris?
  Hîc sol splendidius nitet; Favoni
Spirat mollius aura, suaviorem

Fert rosam & violam benigna tellus:
Hic est dulcior uva, dulciores
Ficus, & pepones: oliva baccas
Non solum patriæ tuæ, sed ipsum
Venafrum superare gaudet; ergo
Huc ades Galatee, quid moraris;
Ecce, cascelos tibi recentes,
Atque hœdos geminos Hyella donat,
Formosissima caprimulga, Pani
Non impar caprimulga, sive cantat,
Seu levi calamo terit labellum:
Huc ades Galatee; quid moraris?
En, hospes meus, optimus Caserta;
Quo Campania terra gloriatur,
Jam desiderium tui morantis
Nequit ferre: puella sic amantem
Votis, ominibusque, lacrymisque
Absentem vocat; Ah! tuum Casertam
Ne quæso cruciare perge, sed jam
Huc ades Galatee; quid moraris?
Is quidem impatiens moræ molestæ
Ad te jam properasset, ægra membra
Ni vis debilitaret ipsa morbi:
Et tu jam diu abesse sustinebis?
Qui sola potes alloquutione
Febrim pellere candido sodali:
Huc ades Galatee; quid moraris?
Non Phœbus (mihi crede) filiúsve
Phœbi cantibus hunc levaret, herbis
Aut salubribus, æquè ut ipse vultu
Jucundo, & lepidâ dicacitate:
Ergo si tibi cura chari amici est,
Huc ades Galatee; quid moraris?
Te vocat domus ipsa, quam solebas
Jocis, & salibus, facetiisque
Tuis exhilarare, te loquaces

Lymphæ,

Lymphæ, te vocat hortulus venuſtus,
Tuæ tam memor irrigationis,
Quam lactis memor eſt tenellus infans:
Huc ades Galatee; quid moraris?
Non pandunt nitidæ roſæ per agrum
Formoſos calathos, hiare tardant
Flores luteolique cærulique,
Albi, & purpurei: ſuos honores
Agellus tibi ſcilicet reſervat:
Huc ades Galatee; quid moraris?
Si venis citò, carminum libellum
Oſtendam tibi, quem legens putabis
Te veſci ambroſiâ, & tibi repleri
Ora nectare: ſin mea procellæ
Terunt irrita verba, mox Iambos
Exſpecta horribiles, amariores
Felle, abſinthio, & omnibus venenis,
Quotquot Theſſala nutrit ora, quotquot
Ponti terra creat. Sed eja age eja;
Huc ades Galatee; quid moraris?

ODE VII.

Ad Petrum Carneſecum.

O Dulce hoſpitium? o lares beati!
O mores faciles! ô Atticorum
Conditæ ſale colloquutiones?
Quam vos ægro animo & laborioſo,
Quantis cum lachrymis miſer relinquo?
Cur me ſæva neceſſitas abire,
Cur vultum, atque oculos, jocoſque ſuaves
Cogit linquere tam venuſti amici?
Ah! reges valeant, opeſque regum,
Et quiſquis potuit domos potentûm

Anteponere candidi sodalis
Blandis alloquiis, facetiisque.
Sed quanquam procul à tuis ocellis,
Jucundissime Carnecese, abibo
Regis imperium mei sequutus;
Non loci tamen ulla temporisve
Intervalla tuos mihi lepores,
Non mors ipsa adimet: manebo tecum,
Tecum semper ero, tibique semper
Magnam partem animæ meæ relinquam,
Mellite optime, mi venuste amice.

ODE VIII.

Ad Franciscum Turrianum.

PER tui Ciceronis & Terentî
Scripta te rogo, Turriane docte,
Ut postridiè, adhuc rubente mane,
Quum fœcundat humum decorus almo
Rore Lucifer, exiens Giberti
Domo, ad me venias equo citato,
Ne tibi igneus antevertat æstus.
Hic fontem prope vitreum, sub umbra
Formosi nemoris, tibi parabo
Prandium Jove dignum: habebis & lac
Dulce, & caseolum recentem, & ova,
Et suaves pepones, novaque cera
Magis lutea pruna; delicatos
Addam pisciculos, nitens salubri
Quos alit mihi rivulus sub unda:
Ad mensam vetulus canet colonus
Jocosissima carmina, & coloni
Quinque filiolæ simul choreas
Plaudent virgineo pede: indè ocellis

Ut primùm sopor incubans gravabit,
Jucundissime amice, te sub antrum
Ducam, quod croceis tegunt corymbis
Serpentes hederæ, imminensque laurus
Suaviter foliis susurrat: at tu
Ne febrim metuas, gravedinemve;
Est enim locus innocens; ubi ergo
Hic satis requieveris, legentur
Lusus Virgilii, & Syracusani
Vatis, quo nihil est magis venustum,
Nihil dulcius, ut mihi videtur.
Quùm se fregerit æstus, in virenti
Convalle spatiabimur, sequetur
Brevis coena, redibis indè ad urbem.

ODE IX.

Ad Petrum Viperam.

FOrtunate senex, senex beate,
Quo te carmine prædicare possim?
Est domus tibi parva, sed supellex
Munda, lectulus elegans, tabellæ
Quæ suis oculos vel eruditos
Figuris teneant cubiculumque
Ornatum satis, & satis librorum
Magna copia, qui bene ac beatè
Docent vivere; mensa pura, victus
Simplicissimus: est tibi fidelis
Minister vetulus, sodalis idem,
Quîcum fallere tempus, & jocari
Soles suaviter; est enim facetus
Senex, blandus, amabilis, disertus.
Hæc ad commoda tam beata magnum
Adjungit cumulum hortulus venustus,

Quem

Quem vel Corytius senex agello
Suo præferat, omniumque dicat
Pater Nausicaæ hortulorum ocellum.
Adde quod viridis tibi senectus,
Quod mens candida, candidique mores,
Quòd sestertia quinque ab urbe missa
Sunt satis tibi singulos per annos.
Abest ambitio, timorque lethi,
Et quicquid miseram facit senectam:
Nam Deo pietas amica, vitæ
Et morti bona cuncta pollicetur.
Fortunate senex, senex beate,
Quo te carmine prædicare possim?

ODE X.

Ad Ludovicum Beccatellum.

NE vivam, bone Ludovice, ni me
Et mei miseret tuique; nam quis
Deus, vel mala sors, utrumque semper
Captivum tenet urbis in tumultu;
Si nos ambitio, pecuniæve
Augendæ premeret sitis, tacerem:
Sed quum divitiis, honoribusque
Magnis otia præferamus, Ah! cur
Romam præferimus meo Lavino
Albinoque tuo? ô venusti agelli,
Musarum domus, & quies laborum,
Tam longè mihi vita num manebit,
Ut meos satiare possim ocellos
Vestro dulci, & amabili decore?

O tandem placida & beata rura,
Nos charum accipite in sinum, nec ulla
Vis avellere possit; hic & hœdo,
Et pomis, oleaque, pensilique
Uvâ nos alite: & simul supremum
Tempus venerit, ossa sub virenti
Lauru condite, quà fugit per herbas
Suavem rivulus excitans susurrum.

ODE XI.

In Hyellam.

O Quæ venusta Sirmionis littora
Colis, catulli candida
Musa, & beatam Citrei sylvam doces
Pulchram sonare Lesbiam;
En nos Taburni in valle florida tibi
Aram virenti è cespite,
Et terna melle, terna lacte, ponimus
Spumante plena cymbia;
Et te vocamus voce supplici, Dea,
Ad sacra parva, sed pia;
Ut nostram Hyellam fistulâ dulci canas,
Quâ nulla rure pulchrior
Vivit, nec ulla vivet ullo tempore
Cani puella dignior.
At tu vireta amœna, & undas limpidi
Relinque Benaci libens,
Et hic Favonî lenis aura murmurat,
Et hic avium dulci sono
Mulcetur aer; prata floribus nitent;
Purique fontes vitreis
Lymphis decentes frigerant nemorum Deas,
Cum fessa damarum nece,

Et iſta luce fervida ſolis redit
    Pudica Dianæ cohors,
Quare, ô puella candida, huc aditum feras,
    Nobiſque verſus dicito,
Per quos Hyella vivat, uſq; dum tua
    Formoſa vivet Lesbia.

ODE XII.

Hymnus in Auroram.

ECce ab extremo veniens Eoo
    Roſcidas Aurora refert quadrigas,
Et ſinu lucem roſeo nitentem
            Candida portat.
Ite pallentes tenebræ ſub Orcum;
Ite, quæ totâ mihi nocte diros
Manium vultus, mihi dira ſemper
            Somnia fertis.
Da lyram vati puer; ipſe flores
Sparge, dum canto: Bona Diva, ſalve,
Quæ tuo furvas radiante terras
            Lumine luſtras.
En tibi ſuaves violas, crocumque,
En odorati calathos amomi:
Surgit, & noſtros tibi dulcis aura
            Portat odores.
Deferat laudes utinam preceſque,
Quas tibi ſupplex mea Muſa fundit,
Jam pio ſanctos benè docta divos
            Tollere cantu.
Quis tuam dignè celebrare lucem
Poſſit, ô almæ genitrix diei;
Quis tuam formam, ô Dea ante Divas
            Pulchrior omnes?

Ut genas cœlo roſeas, comamque
Auream profers, tibi fulva cedunt
Aſtra, decedit rutilante victa
Luna decore.
Te ſine æternâ jaceant ſepulti
Nocte mortales; ſine te nec ullus
Sit color rebus, neque vita doctas
Culta per artes.
Tu gravem pigris oculis ſoporem
Excutis; lethi ſopor eſt imago;
Evocans tectis ſua quemque lætum ad
Munia mittis.
Exilit ſtratis rapidus viator,
Ad jugum fortes redeunt juvenci;
Lætus in ſylvam properat, citato
Cum grege, paſtor.
Aſt amans charæ thalamum puellæ
Deſerit flens, & tibi verba dicit
Aſpera, amplexu teneræ cupito a-
vulſus amicæ.
Ipſe amet noctis latebras doloſæ,
Me juvet ſemper bona lux; nitentem
Da mihi lucem, Dea magna, longos
Cernere in annos.

ODE XIII.

In Hyellam.

ADeſte ô Satyri, bonique Fauni, &
Quicquid capripedum eſt ubique Divûm,
Mecum, numina ſancta, lacrymate.
Veſtra mortua bella caprimulga eſt,
Illa candida, bella caprimulga,
Quæ vobis bona liba factitabat,

Quæ dulcem mihi caseum premebat,
Quæ tam carmina bella cantitabat.
Tecum delicias Hyella ruris,
Tecum gaudia ruris abstulisti.
Te formosulus hortus ille, quem tu
Lætum virgineâ manu rigabas,
Te fons prosiliens specu è virenti,
Quem illo floridulo ore basiabas,
Te lugent nemora, atque vallis, in quâ
Pascebas niveas tuas capellas;
Nunc pictas Dryadis legens corollas,
Nunc dulci resonans avenâ in antro.
At tu, si sapis, ô puella Ditis,
Huic dato nitidas tuas capellas;
Hac pascente domum tuæ capellæ
Fer nt ubera tentiora, lacque
Longè dulcius effluet papillis.
Nullam rura tulere doctiorem
Aut miscere coagula, aut decoras
Molli texere fiscinas hibisco,
Aut per florida prata cum puellis
Choros ducere obstupente pago.

ODE XXVI.

Angeli Politiani.

JAm cornu gravidus præcipitem parat
Afflatus subitis frigoribus fugam
Autumnus pater: & deciduas sinu
Frondes excipit arborum.
Cantant emeritis, Bacche, laboribus,
Te nunc agricolæ: sed malè sobrios
Ventosæ querulo murmure tibiæ
Saltatu subigunt frui.

Nos

Nos anni rediens orbita ſub jugum
  Muſarum revocat dulce, ferentibus
  Porrectiſque monent ſydera noctibus
    Carpamus volucrem diem.
I mecum docilis turba biverticis
  Parnaſſi rapidis per juga paſſibus;
  Expers quo ſenii nos vocat, & rogi,
    Conſors gloria cœlitum.
Nam me ſeu comitem, ſeu, juvenes, ducem
  Malitis, venio; nec labor auferet
  Quærentem tetricæ difficili gradu
    Virtutis penetralia.

JO. AURELII AUGURELLI

ODE XIV.

Gratiarum Convivium.

INvitat olim Bacchus ad cœnam ſuos
    Comon, Jocum, Cupidinem.
Diſcumbit unà Liber, atque Amor; Jocus
    Comoſque contrà proximè;
Illis decentes ſubminiſtrant Gratiæ
    Grati ſaporis pocula:
Succoſque miſcent, & venena temperant
    Multi viciſſim palmitis.
Inuſitato proluunt ſe nectare
    Plenè ſodales uvidi,
Ac fortè juſto plus parùm dulcedine
    Lactante capti ingurgitant.
Hic inter ægros incipit verbis Deos
    Ridenda primùm rixula.

Graves Amori Bacchus objectat dolos,
    Quibus frequenter utitur.
Illi Cupido vana ludens gaudia
    Blæsasque voces exprobrat.
Como Jocus risus leves; Comus Joco
    Sales ineptos objicit.
Mox in capillos, atque ocellos advolant,
    Manusque nectunt parvuli.
Adsunt sorores illicò tres perditis,
    Pacemque suadent optimæ.
Tandem sagittas, & pharetram clanculùm
    Bacchus Cupidini involat.
At vi nitentem floridâ Jocus comâ
    Como coronam diripit.
Sic inde scissis crinibus cedens Amor
    Matri fit obviam ebrius.
Comus facetos ad viros se proripit
    Per angiportum devium.
Bacchus, Jocusque contrahunt fœdus, brevi
    Mox desiturum tempore.
Ast ut propinquans sordidum natum mero
    Venus madentem conspicit:
Irata secum, limpidum ad fontem manu
    Apprensum & hærens attrahit.
Huic rore puro protinus lavat sacri
    Crines solutos verticis.
Pectitque, & ægrè extricat, ac dat undique
    Collo nitenti pendulos.
Sed fortè oberrans roscidam manûs cutim
    Contingit acri pectine.
Tum læsus ille subdit accensam pio
    Facem parentis pectori.
Ambusta at ipsa (ut erat) in undas prosilit
    Secum trahens Cupidinem.
Fons unus ergo sic levatos dispari
    Ambos calore liberat.

ODE

ODE XV.

SANNAZARII

Tumulus Maximillæ.

Hic hic siste, precor, gradum viator,
Hoc sub marmore Maximilla clausa est:
Quacum frigiduli jacent amores,
Et lusus, Veneresque, Gratiæque,
Hanc illi miseræ severa Clotho
Pro dulci thalamo domum paravit.
Has matri dedit, has patri querelas,
Pro plausu, choreisque nuptiarum.
Quid firmum tibi, quid putes viator
Mansurum inviolabile, aut perenne?
Si quæ deliciæ juvenculorum,
Et decus fuerat puellularum,
Nunc eheu jacet ecce Maximilla,
Luctus perpetuus juvenculorum
Æternæ & lacrymæ puellularum.

ODE XVI.

Ad Marinum Caracciolum.

O Dulce ac lepidum, Marine, factum,
Dignum perpetuo joco, atque risu,
Dignum versiculis, facetiisque;
Nec non & salibus Marine nostris.
Ille maximus urbis imperator
Cæsar Borgia; Borgia ille Cæsar,

Cum

Cæsar patris ocellus, & sororis,
Fratrum blanditiæ, quies, voluptas,
Montis pupulus ille Vaticani,
Ille inquam dominæ urbis inquinator,
Cæsar Borgia, Borgia ille Cæsar,
Cinœdi patris impudica proles,
Mœchus ille sororis atque adulter,
Fratrum pernicies, lues, sepulcrum,
Montis bellua tetra Vaticani,
Quingentas modò qui voravit urbes,
Imbutus scelere, & malis rapinis,
Urbes sub ducibus suis quietas,
Quascunque aut Latium ferax virorum,
Aut Campania pinguis, aut per alta
Divisi juga continent Sabini,
Hisque ingessit Ariminum, Pisaurum,
Urbinum, Populoniamque magnam,
Camertes pariter, Forumque Livî,
Cornelique Forum, Faventiamque,
Et quantum Æmiliæ est, Hetruriæque,
Quantum circuitu hinc & inde longo,
Neptuni lavat æstuantis unda,
At nunc quis neget esse opus Deorum?
Cum vecors, animi impotente morbo,
Quærit plura, nec est potis misellus
Explere ingluviem periculosam.
Ecce ecce evomit, ô Jovem facetum!
O pulchram Nemesim! ô venusta Fata!
Verum scilicet id Marine, verum est
Quod dici solet, en fides probat nunc,
Fortunam si avidè vorare pergas,
Eandem male concoquas necesse est.
Ut jure evomere hunc putemus ipsum,
Qui tantum miser hausit oppidorum.
Ast id omne, quod hausit, oppidorum,
Quod quinque assiduis voravit annis,

Im-

Imbutus ſcelere, & malis rapinis,
Scis quot evomuit diebus? uno.
O lucem niveam! ô Jovem facetum!
O pulchram Nemeſim! ô venuſta Fata!
O dulce ac lepidum, Marine, factum.

ODE XVII.

Ad Ninam.

SExcentas Nina da, precor, roganti:
Sed tamen mihi baſiationes:
Non quas dent bene filiæ parenti,
Nec quas dent bene fratribus ſorores:
Sed quas nupta rogata det marito,
Et quas det juveni puella charo.
Juvat me mora longa baſiorum;
Ne me tam citò deſerat voluptas.
Nolo marmora muta, nolo pictos
Dearum Nina baſiare vultus:
Sed totam cupio tenere linguam
Inſertam humidulis meis labellis,
Hanc & ſugere, morſiunculaſque
Molles adjicere, & columbularum
In morem teneros inire luſus;
Ac blandum ſimul excitare murmur.
Hæc ſunt ſuavia dulciora melle
Hyblæo, & Siculæ liquore cannæ:
Hæc ſola ambroſiæque, nectariſque
Succos fundere, ſola habere poſſunt.
Quæ ſi contigerint mihi, tuiſque
Admovere ſinas manum papillis:
Quis tunc divitias, quis aurum, & omnes
Aſſe me putet æſtimare reges?
Jam non maluerim mihi beatas

Auroræ, Venerisque habere noctes;
Non Hebes thalamos beatiores:
Non si deserat hæc suum maritum:
Non si me roget usquequaque; non si
Æternam mihi spondeat juventam.

ODE XVIII.

JO. JOVIANI PONTANI.

Ad Fauniam.

AMabo, mea chara Fauniella,
Ocellus Veneris, decusque Amoris,
Jube isthæc tibi basiem labella
Succi plena, tenella, mollicella:
Amabo, mea vita, suaviumque,
Face istam mihi gratiam petenti.
Ah! quid lenta tuum times maritum?
Ne time, leviter suaviabor:
Apes ut tenero studens liquori
Libat summa thymi aut crocon rubentem;
Summa vix tibi suxerim labella:
Isthæc dico labella mollicella:
Quæ me tam facient citò beatum,
Quam fiam cito, si neges, misellus.

ODE XIX.

Ad Fauniam.

PUella, molli delicatior rosa,
Quam vernus aer parturit,

Dulcique

Dulcique rore Memnonis nigri parens
Rigat ſuavi in hortulo.
Quæ mane primo roſcidis cinctos foliis,
Ornat nitentes ramulos;
Ubi rubentem gemmeos ſcandens equos
Phœbus peragrat æthera:
Tunc languidi floris breve & moriens decus
Comas reflectit laſſulas;
Mox prona nudo decidit cacumine,
Honorque tam brevis perit.
Sic forma primis floret annis: indecens
Ubi ſenectus advenit,
Heu languet oris aurei nitens color,
Quod ruga turpis exarat.
Perit comarum fulgor, & frontis decus,
Denteſque flavent candidi.
Pectus papillis invenuſtum languidis,
Sinus recondet ſordidus;
Quod nunc Eois lucidum gemmis nitet,
Tenuiſque veſtit faſcia.
Nullas amantis audies mœſti preces,
Duram quærentis januam.
Non ſerta lentis fixa cernes poſtibus,
Excluſi amantis munera.
Sed ſola noctes frigido cubans toro,
Nulli petita conteres.
Quin hoc juventæ floridum atque dulce ver,
Brevemque florem carpimus.
Poſt luſtra quinque jam ſenectus incipit,
Latenſque ſubrepit modò.
Quare meorum ô aura ſuavis ignium,
Dies agamus candidos;
Nocteſque Divæ conteramus integras,
Quæ mane lucet Heſperus.

ODE

ODE XX.

ANDREÆ NAUGERII

Ad Auroram.

DIa Tithoni ſenioris uxor,
Quæ diem vultu radiante pandis,
Cum genas effers roſeas rubenti
Prævia Soli.
Roſcidos ut nunc per agros vagari
Sub tuo adventu juvat, & recentes,
Quæ tuos ſemper comitantur axes
Excipere auras.
Sicca jam ſævus calor uret arva,
Jam vagi aurarum levium ſileſcent
Spiritus, jam Sol rapidus furentes
Exeret ignes.
Dum licet, læti ſimul ite amantes,
Dum licet, molles pariter puellæ
Ite, lucentes vario capillos
Nectite ſerto.
Nunc ſimul telis poſitis Amores
Matris hærentes lateri, & decentes
Gratiæ plenos referunt reſecto
Flore quaſillos.
Per feros ſaltus, per iniqua luſtra
Undique occultas agitans latebras
Fertur, & ſylvas variâ ferarum
Strage cruentat.
Clara Latonæ ſoboles, nitenti
Huic comæ in nodum religantur auro,
Pendet aurata ex humeris pharetra,
Pendet & arcus.

Circum

Circum eunt nymphæ simul, illa cursu
Gaudet effusos agitare cervos,
Hanc juvat certis jaculis fugaces
Figere lyncas:
Nunc ab umbroso simul æsculeto
Daulias latè queritur, querelas
Consonum circa nemus, & jocosa
Reddit imago.

ODE XXI.

Ad Venerem.

Diva quæ has cœli generatim in auras
Cuncta producis, cupidumque amorem
Undique infundens facis, ut perenne
Sæcla propagent:
Quâ nihil lætum sine, amabile est nil,
Nilque jucundum, sine quâ nec ipsæ
Gratæ erunt quicquam Charites, nec ipsa
Blanda voluptas:
Dum tibi lætus reparatur orbis,
Dum per herbosos pecus omne campos
Vim tuam sentit, tibi plaudit omnis
Diva, volucris:
Dum nihil, quamvis rigidum, feroxque est,
Ossibus quod non penitùs sub imis
Sit tuâ tactum face, quod tuos non
Sentiat ignes.
Una erit flammarúm, & amoris expers?
Una secura his Lalage resistet?
Tange age ultrici, Dea, pertinacem,
Tange flagello.

Quod

Quod ii ita tanges, fera ut obstinatum
Applicet nostris animum querelis,
Nec preces ultra miseras superbâ
Negligat aure:
Conseram lætam tibi, Diva, myrtum,
Vancius quæ se rosifer revolvit:
Hanc mero supplex, niveo & rigabo
Lacte quotannis.
Hanc & immistæ pueris puellæ
Circum agent lætas pariter choreas:
Terque primâ unam, simul ultimâ unam
Voce canent te.
Te canent unam, volucremque natum,
Qui ferox, duro & similis parenti,
Acer & flammâ est, & agente certum
Cuspide vulnus.
Spargam odoratas violas, rosasque
Ipse ego, votique reus secabo
Grata torquatæ ante tuas columbæ
Guttura flammas.

ODE XXII.

LUDOVICI AREOSTI.

De Megilla.

ILlius timidis spes sit amoribus
Qui formæ comitem ferre superbiam,
Centenamque repulsam
Leni pectore quiverit:
Qui surdos tulerit tot querimoniis
Postes, dum glomerat trux Boreas nives,
Miraturque suam vim
Tantis vincier ignibus:

Qui rivalem animo viderit integro
Offensum, toties limen amabile
  Noctu prætereuntem,
    Quod vel jurgia spreverit,
Iras, nequitias, instabilem fidem,
Et quicquid dominæ sævities tulit:
  Illum mater Amorum,
    Mater blanda Cupidinum
Tandem audit precibus victa diutinis,
Et finem tepidis luctibus imperat;
  Duræ corda puellæ
    Divino insiliens pede:
Non oblita facis, quam Cinareïus
Excivit juvenis, quam Phrygius prope
  Idæum Simoenta,
    Quam Mars bellipotens pater.
Illi fert gremio pleno Amathuntia,
Lusus, illecebras, delicias, jocos,
  Risus, quicquid & almo est
    Regno dulce Cupidinum.
En me, quem lacrymis, quem miseris modis
Sævus ludibrio longùm habuit puer,
  Spretor Divûm, hominumque
    En hâc luce beat Venus.
O signanda dies, non modo candidâ
Notâ de veteri more Cydonio;
  Sed sacro celebranda
    Nobis jugiter annuo!
Lux, quâ plena meis amplaque gaudia
Commuto lachrymis, quaque laboribus
  Munus grande reporto,
    O solatia suavia!
Fallorne? an placidâ somnus imagine
Ludit me, ut miseris questibus obviet?
  An hæc vera Megilla
    Cujus detineor sinu?

Hæc hæc vera mea est: nil modò fallimur
Mi anceps animule, en sume cupita jam,
Mellita oscula sume,
Expectata diù bona.

ODE XXIII.

De Julia.

Qualem scientem carminis, & lyrâ
Sappho sonantem molliter aureâ,
Expertem amorum, atque integellam
Floris adhuc nimium caduci;
Vocavit altis è penetralibus
Pubentis agri conspicuus nitor,
Herbæque, flosculique hiantes
Flatibus egelidis Favoni:
Mox dithyrambos Æoliæ impulit
st ud i ni committere spiritus
Strepens per altas ilices, &
Murmur aquæ propè defluentis:
Qualemve doctam Calliopen modos,
Cui Rex Deorum sistere tinnula
Permisit amnes voce, flavæ
Jupiter ob meritum parentis,
Audivit olim libera cœlitum
Jam jam fugatis mensa, gigantibus
Manum Tonantis, & Deorum
Præsidium ad citharam canentem:
Audivi eburno pollice Juliam
Chordis moventem Threiciæ fidis,
Et arte jucundos magistra
Ad numerum strepitus citantem:
Et ora vernis æmula floribus
Solventem acutis vocibus in modum,
Nervoque vocales decenter
Carminibus sociantem Etruscis.

Cantusque presso gutture mobiles.
Ducentem ad auras, per tremulas prius
Flexasque, concisasque fauces,
Murmure nunc tacito volutos;
Nunc plena in aurem voce refractulos,
Quibus nigranti cedit ab arbore
In roscidis quicquid viretis
Vere canit volucrum tepente.
Ut ut canoros quæro iterum modos,
Ut ut mihi me surripuit melos;
Nec mecum adhuc sum, adhuc hiulco
Nescit abire animus labello:
Nec si sciat, vult mitti, adeo & bonâ, &
Gratâ tenetur compede: jam mihi est
Adempta libertas, nec haustu
Elysiæ reparanda Lethes.
Si tale Siren stirps Acheloia
Nautis canebat prætereuntibus;
Nil miror aversas carinas
Sponte cavas adiisse rupes.
Nescis, tu Ulysseu, qui fugis illitis
Cerâ Pelasgis remigis auribus
Inter puellarum choros tam
Dulce canentium, obire fœlix.

PETRI CRINITI, ODE XXIV.

Ad Marullum, quod relictis Musis a Nævia detinetur.

PRidem relictâ Pallade,
Amoris hausi poculum,
Et me Cytheris militem
Delegit in castris suis.
Marulle, quid frustra mones
Ut sacra Phœbi prosequar,
Et me Camœnis asseram?

Libet vocanti Cypridi
Parere, dum calor riget:
Et in virenti gramine
Inter Jocos & Gratias
Aurâ favente ludere:
Nunc in reductis vallibus
Duros amores insequi.
Tu carmen altum Principis,
Vates beato pectore
Absolve, dum Phœbus monet,
Tu dedicatus Cynthio
Docto, Marulle, carmine
Tradas perennem posteris
Famam potentis ingenî.
Mî sat calores mutuos
Firmamque sacri pectoris
Fidem probare Næviæ.

ODE XXV.

Nicolai Archii.

Dulces lacrymulæ meæ puellæ,
Quas desiderium pium movebat,
Quæ vultus modò candidos rigabant
Guttatim, & roseis genis fluebant,
Ac si rivulus irrigaret unda
Flores purpureosque candidosque,
Ac per mollia prata laberetur:
Tam suavi in pluvia nitens Cupido
Insidebat, uti solet volucris
Ramo, vere novo, ad novos tepores
Post solem accipere ætheris liquores,
Gestire & pluviæ ore blandiendo.
Has inter lacrymas & hunc dolorem
Quassabat geminas faces Cupido,
Exire ut faceret novas favillas.

ODE XXVI.

Angeli Puella.

PUella delicatior
Lepuſculo, & cuniculo,
Cææque tela mollior:
Anſerculique plumula.
Puella qua laſcivior
Nec vernus eſt paſſerculus,
Nec virginis blandæ ſinu
Sciurus utque luſitans.
Puella longè dulcior
Quam mel ſit Hyblæ, aut ſaccarum,
Ceu lac coactum candida
Vel lilium, vel prima nix.
Puella cujus non comas
Lyæus æquaret puer
Non paſtor ille Amphriſius
Amore mercenarius:
Comas decenter pendulas
Utroque frontis margine,
Nodis decenter aureis
Nexas: decenter pinnulis
Ludentium Cupidinum
Subventilantibus vagas:
Quas mille criſpant annuli:
Quas ros, odorque myrrheus
Commendat, atque recreat.
Puella cujus duplices
Sub fronte amica fulgurant:
Amoris arcani faces:
Quas contueri, non queo:
Nec ſtare contra, vel procul,
Quin occuper flamma gravi
Miſer miſer, quæ mollibus

Furtim medullis adsilit.
Non non ocellus hospites
Ille est, & ille, sed faces,
Faces amoris igneæ,
Quas læta suscitat Venus,
Quas blanda pascit Gratia.
Quid narium dulcem modum,
Vel quid genarum lævium
Dicam rosam cum lilio?
Labella quid coralliis
Rubore pœnitentia:
Jam sæpe tam longum mihi
Mordente pressa basio:
Quid margaritas dentium
Præcandidorum proloquar?
Linguamque perplexabilem,
Utcunque juncto anhelitu
Amanti amantem copulans
Festinat ad calcem Venus:
Cum suave olentem spiritum
Semiulca fugunt oscula,
Lenocinante gaudio
Subinde murmurantia?
Mentumve quid tornatile;
Gulamque teretem & lacteam:
Et quæ lacertis millies
Ut arbor hedera incingitur,
Incincta cervix est meis?
Nam quæ tibi mamillulæ
Stant floridæ, & protuberant
Sororiantes primulum,
Ceu mala punica arduæ,
Quas ore toto presseram,
Manuque contrectaveram,
Quem non amore allexerint?
Cui non asilum immiserint?

Quem

Quem non furore incenderint!
O qui lacerti, quæ manus?
Quos Juno, quas Aurora habet;
O quale pectus, & latus,
O venter, ô crus, ô femur,
O qui Thetim decent pedes:
Pedes choreis nobiles,
Saltatibus mirabiles,
Statu, gradu ſpectabiles.
O verba jucundiſſima:
Tam nequiter ludentia:
Arguta, plena aculeis,
Decore, ſuavitudine,
Dicacitate, gratia.
O carminum dulces notæ
Quas ore pulchra melleo
Fundis, lyræque ſuccinis,
Ut non Thalia blandius,
Non ipſe Apollo doctius
Feras canendo mulceant:
Fluenta vertant in caput
Et ſaxa cum ſylvis trahant.
O cuncta ſalſa, & dulcia
Feſtiva, læta, & mollia
Referta amœnitatibus:
Amoribus Jubentia,
Protervitate, luſibus,
Riſu, joco, leporibus.
O quicquid eſt pulchrum & decet
Puella ſola continens.
O præpotens cultu nimis,
Nimiſque non culta placens:
Quis te Deus mihi invidet?
Quæ te mihi fors eripit?
Quo te repente proripis?
Quo, quo fugis belliſſima;

Risu serenans æthera?
Heu mea voluptas; mel meum,
Meum puella corculum,
Mihique longe charior
Auro, lapillis, purpura,
Ac nec lapillis charior
Auroque solum, & purpura;
Sed spiritu mî charior,
Sed charior mî sanguine.
Memento tu tamen precor
Memento formosissima
Amoris: atque compedum
Quas à tenellis unguibus
Mecum tibi circundedit:
Heu lacrymis amantium: heu
Suspiriis ridens Venus.

ODE XXVII.

Jambicum Trimetrum de domo nuper a Mibilio empta in desertissimo urbis loco, qui ad Caballum dicitur.

HÆres relictus à parente sordido
Ille impudicus, temulentus, Aleo;
Spurcus, lutosus, pedicosus, hispidus,
Pannosus, unctus, horridus, caprimulgus,
Edax, ineptus, insolens Mabilius,
Uno expatravit patrimonium die
Gulâ helluante - - - - - -

Quæ desiderantur adeo obscæna sunt, ut salvo nequeant pudore dici.

Mox cum super vix quindecim nummi forent,
Rebus cavendi jam suis tempus ratus,
Emit lacertis, & colubris hospitam
Domum, rigentem senticetis, & rubis,
Familiarem vulturi, & bubonibus.

In quâ solebat turba mendicantium
Longis coactos esuritionibus
Mandare terræ turgidi ventris cibos;
Quâ contumaces Æolus ventos solet
Punire clausos; quâ recuset Tantalus
Siticulosam Ditis horridi Styga
Mutare; & Ætnæ centiceps gigas onus.
Nec vendere illam; nec locare si velit:
Donare nec Mabilius cuiquam potest,
Mutare dominum domus hæc nescit suum,
Quantumlibet Mabilius sit prodigus,
Quam nunc sit, esse non potest pauper magis:
Fecit lucrum ingens, hanc emens Mabilius.

ODE XXVIII.
IO. BAPT. AMALTHEI DAPHNIS.

Beate fons, ocelle fontium omnium,
Qui picta multis prata floribus rigas;
Tuoque suavem rivulo halitum accipis,
Unde ipse odoratis quoque affluis aquis:
Has lachrymas sævi doloris nuntias
Daphnis secundo amore tam Diis proximus,
Nunc omnium miserrimus, libat tibi:
Ut bella Erilla, dum calore languida
Tuis refrigerat papillas undulis,
Tuoque fessa conquiescit in sinu;
Quem mî peperit, identidem luctum hauriat:
Identidem illa, illa hauriat; seu lucido
Fovet liquore membra; sive candidas
Manus, & aureas simul lavit comas.
Sic dura forsan molliet præcordia;
Roburque tandem pectoris flectet sui.
Formosa Erilla, vosque muscosi specus,
Et vos comantibus decoræ ramulis

Valete lauri; quæ meis laboribus
Sæpe affuiſtis, & doloris conſciæ
Impreſſa lævi ſigna fertis cortice.
Veſtris in umbris, veſtro in amplexu miſer
Non amplius meos amores concinam:
Nec ſibilantium licebit arborum
Captare frigus in tenaci gramine;
Gregeſve blandâ detinere fiſtulâ.
Hunc ego diem hauriam ſupremo lumine;
Hoc intuebor ultimum ſolis jubar.
Jam jam emoritur animus mihi, & pallentia
Jam jam ora diræ imago mortis occupat.
Quare meo donate fletu, & lachrymis,
Vale beate fons, ocelle fontium.

ODE XXIX.

Iolas.

SIc te perenni picta flore gramina,
Et umbra denſis explicata frondibus
Levent beate paſtor: ut nec horrida
Hyems virentium arborum lædat comas,
Nec prata lætis exuat coloribus:
Prata illa regnis præferenda: quæ tibi
Tantum quietis, otiique ſuggerunt.
Fœlix Iola, grata ruris commoda
Semper tueris, ſeu colis ſcatentia
Vireta rivis, ſive ſub cavo ſpecu
Projectus, & curis ſolutus omnibus
Canis, quod ipſa circùm imago conſonet,
Et alta reddant montium cacumina.
Fœlix Iola, nunc tibi fons languidum
Affert ſoporem blandiente murmure:
Nunc dulci amore ſaucius tuos novis
Incidis ignes populis: & ſtipite
Creſcente dulcior ſimul creſcit calor.

Tecum

Tecum in reducta valle grex depascitur:
Quantumque longis solibus carpunt oves,
Brevi resurgit nocte. Tecum Vespere
Surgente notis clauditur præsepibus:
Astrisque jam cadentibus, cum pascua
Lento madescunt rore, prosilit pecus
Molles ad herbas; hic tibi tunc alitum
Congratulantur cantus; hic felicibus
Aspirat auris obstrepens Favonius.
At tu beate pastor, isto munere
Diu fruare, nec nemus, nec florida
Offendat arva frigus acre: sed tibi
Æterno aperti vere floreant agri.

JOHANNIS COTTÆ
ODE XXX.

Ad Lycorim.

AMo, quod fateor, meam Lycorim,
Ut pulchras juvenes amant puellas.
Amat me mea, quod reor, Lycoris;
Ut bonæ juvenes amant puellæ.
Huic ego, ut semel hanc videre visus
Sese ostendere fixiore ocello,
Quando inquam, mea lux, mei laboris
Das mi præmiolum! meique cordis
Tot incendia mitigas Lycori!
Hic illa erubuit simulque risit:
Ridebat simul, & simul pudebat:
Dumque molliculos colens amores,
Colit virgineum simul pudorem,
Quid negem tibi dixit? & capillum,
Qui pendens levibus vibratur auris,
Et formosa vagus per ora ludit,

Hunc

Hunc secans trepida implicansque in auro,
Hæc fila aurea, & aureum capillum
Pignus, inquit, habe meique amoris,
Meique ipsius: hoc tuum puellæ
Tuæ pignore lenias calorem.
Eheu quid facis! hei mihi Lycori
Hæc sunt flammea texta non capilli:
Sunt hæc ignea vincta, ni relaxes,
Qui tanto valeam valere ab æstu,
Anne ignem juvat ignibus perire?
Comæ flammeolæ subite flammas:
Crines igneoli venite in ignes:
Sat me flammea vincla nexuistis:
Nunc vos solvimini, & subite flammas,
Ussistis nimis ignei capilli,
Nunc vos urimini, & valete in ignes.
Hos meos age lætus ignis ignes
Perge extinguere, tuque flamma flammam
Exedas, mea morda quæ exedebat.
At tu, sic reliqui tui capilli
Vernent perpetuùm tibi Lycori:
Quod tuos ferus ussissem capillos,
Parce: nam volo amare, non peruri.

ANDREÆ NAUGERII
ODE XXXI.

Ad Hyellam.

Quamvis te peream æque, Hyella, totam:
Nec pars sit, mea lux, tui ulla, quæ me
Sævo non penitus perurat igne.
Fulgentes tamen illi, amabilesque,
Illi syderibus pares ocelli
Nostri maxima causa sunt furoris.

O chari

O chari nimis, ô benigni ocelli,
O dulci mihi melle dulciores;
Quando vos misero mihi licebit
Usque ad millia millies trecenta,
Aut ultra hæc etiam, suaviari?
Di concedite mî hoc misello amanti;
Dein nil grave perpeti recuso:
Quin etsi peream, lubens peribo.

ODE XXXII.

Pe. Gerardi Vaxis.

QUod te basiolo proterviore
Ostendi, mea lux, id omne telis
Ignitis tribues amoris: Hoc si
Ulcisci graviusque acerbiusque
Cupis suaviolum, mihi roganti
Rursus basia pangito labellis:
Nam quod surripui antea, repentè
Totam pæne animam abstulit misello,
Quod si haurire iterum daretur oris
Rorem nectareum tui, perirem
Ipse funditùs: annue hoc amanti
Ut totus peream, luamque morte
Præreptam tibi basiationem.

ODE XXXIII.

Responsio ad superiora.

NOn quod basia læserint proterva,
Oris me cupidi, ut putas amanti
Irascor: quoniam labella nullo
Cum damno teneri queant pudoris
Jungi, jungere cur neget puella,
Duris durior ut fuat Sabinis?
Verùm te cùm ita suaviatione

P Affici

Affici aſpicerem, ut necis ſubires
Diſcrimen, dolui: tuæque prorſus
Morti mors geminata noſtra jamjam
Foret, ni retrahens labella, vitam
Mox tibi ſupereſſe comperiſſem.
Ergo cur iterum ſuäviari
Geſtis? quódne parum prius patratum
Sit nobis ſceleris, niſi ampliore
Id porrò ſcelere expietur? an fors
Ut quem ſeminecem modò querebar,
Hunc ipſum labiis meis trucidem?

ODE XXXIV.

Aliud.

ADjunxi tua quod meis labellis
Conatu temerario labella,
Hæc noſtro eſt tribuenda culpa amori:
Si mulctare cupis male immerentem,
Rurſus oribus ora, labra labris
Compone; eſt etenim mihi hauſta rapto
Tanta ex baſiolo priùs voluptas,
Omnis pæne anima ut foras abiret,
Et me linqueret ægra mens amore:
Daretur ſi iterum mihi ore anhelo
Iſta mellitula ora ſuaviari,
Septa mens mea tranſiliret oris:
Culpa hæc morte mea ſatin' luetur?

ODE XXXV.

Aliud.

QUòd te, Lesbia, ſuavio procaci
Commovi graviter, Deus ſubegit
Lentis ignibus uſtulans medullas:
Hoc ſi plectere pœna acerbiore

Vis,

Vis, rursus mihi labra cum labellis
Compara: si quidem tibi quod ante
Furtim surripui, favisque Hymetti,
Omni nectare dulciusque, totam
Heu! heu! pæne animam abstulit meam mi:
Nunc si ducere tramite ex aperto
Rursum florem animæ suaveolentem
Liceret mihi, & ore semihulco
Succos sugere melle dulciores,
Optatâ mihi morte tunc perirem
Funditùs, penitúsque: tunc amoris
Igne percita mens mea evolaret:
Erepta oscula morte sat luuntur.

ODE XXXVI.

HONORATI FASCITELLI

In obitum Arsilii medici, & Poetæ.

ERgo videmus lumine hoc spirabili
Cassum jacere te quoque,
Ut plebe quivis unus è vili jacet,
Arsille magno Apollini,
Novemque Musis chare? sive poculis
Præsentibus morbi graves
Essent levandi, sive dulci carmine
Dicenda mater aurea
Cupidinum, lusúsque furtorum leves.
O vota nostra inania,
Quid dura fati non potest necessitas?
I, da lyram mihi puer,
Manúque funde proniore cæcubum.
Nunc sunt Lyæi munera,
Nunc plectra cordi, nunc juvat lectissimo
Cinxisse flore tempora.
Sicci, tenebris obsiti, tristi in Styge
Fortasse cras silebimus.

ODE XXXVII.

JOSEPHI PARLISTANEI

Descriptio adventantis Senectutis.

JAm nec dulce mihi Venus
Arridet gemini blanda Cupidinis
Mater, nec tepidi leves
Aspirant animæ dulcè Favonii.
Nec vernos aperit sinus
Depicta omnigenis terra coloribus.
Venas, viscera, sanguinem,
Et rugis faciem contrahit aspera
Ætas, nigráque tempora
Spargit Threiciâ tristis hyems nive.
At vis ignea languido
Paulatim fugiens corpore deficit,
Ut flos aridus: unica
Quod si tergemini gratia numinis
Præsens adsit & ætheris
Quod si præniteat lux mihi candida,
Flatus non ego Thracios,
Nec tristem metuam nubibus Africum.
Nec me dura necessitas
Quicquam diminuet rebus in asperis.
Inter mille pericula,
Sed vivam Arsacida principe firmior:
Et cùm fila mihi legent
Parcæ, quæ nequeunt parcere, nexibus,
Hujus corporis exiens
Vitam tunc hominum sorte beatior.

ODE XXXVIII.

HIERONYMI AMALTHEI

Ad Hermetem Stampam.

VAlete aprica montium cacumina:
Valete opaca vallium cubilia:
Vestris Iolas it procul recessibus
Miselle Iola, non videbis amplius
Amata tauris prata mugientibus,
Olente caltha, olente picta amaraco.
Miselle Iola, non videbis amplius,
Dorso recumbens graminum virentium,
Deprælïantes cornibus juvenculos.
Non tibi susurri fluminum sonantium,
Non sibilantes blandientur ilices,
Inire nec suadebit aura somnulos.
Abire certum est, & minaci in æquore
Iras videre insanientis Africi,
Videre monstra per fretum natantia,
Et imminentis mille lethi imagines.
Amens Iola parce, parce conqueri.
Tibi sequendum, sive Nili adiverit
Hermes latentis ultimas origines,
Inhospitalis sive saxa Caucasi.
Quare valete montium cacumina:
Valete opaca vallium cubilia.

ODE XXXIX.

Ad Maximilianum, tunc Boemiæ Regem; nunc Imperatorem.

O Quæ, rotatu vecta volubili
Ustis ab Indis ad gelidos Scythas,

Nunc blandienti, nunc minaci
Cuncta supercilio coerces:
Ne me per altos divitis Antii
Regina montes; ne per inhospitas
Me coge valles fabulosam
Hinc Panacem legere, hinc Cyperum:
Ut insalubri qui lue tabuit,
Formidolosæ vim fugiat necis,
Audente me leges Deorum
Pæonio violare succo.
O mentis expers Iapeti genus;
Mutanda nullo est consilio dies,
Quam fata nobis dormiendam
Perpetuo statuêre somno.
Fallacis ergo Pœonis ars vale:
Obliviosо sat mea torpuit
Fides veterno: nunc canoros
Tange Erato numerosa nervos.
Longúmque rumpens voce silentium,
Nulli secundum concine Principem;
Seu malit armis, seu sagaci
Consilio superare malit:
Quem nunc anhelo pectore Norici
Lugent morantem finibus exteris;
Quem mille votis septicornem
Vendelici revocant ad Istrum.
O solve Ibero carbasa littore;
Et luctuosas, maxime Principum,
Solare gentes; & paternos
Exhilara reditu penates.
Qualis reducens post tenebras diem,
Sol nigriorem discutit aera;
Regnumque Junonis serenat,
Nubibus exiliens fugatis:
Talis revertens cardine ab Hespero
Subjecta septem regna Trionibus

Caliginosa

Caliginosâ nocte solves
  Major avis, ata isque major.
Tu bellicosas frangere fraxinos;
Tu doctus ensem flectere Noricum:
  Urbes subactas, jusque avitum
    Eripies Asiæ tyranno.
Tu rursus urbis Martia Romulæ
Vexilla tolles, subjiciens tibi
  Sol quicquid ambit, quicquid urnis
    Uberibus lavit Amphitrite.
Quod si superstes muneribus fruar
Vitalis auræ, me fide Lesbia
  Juvabit & prædas, & hostes
    Dicere compedibus revinctos.
Te rege latus dum Capitolio
Parebit orbis, dulci ego pectine
  Molles in amplexus euntem
    Nereidum Tiberim reflectam.
Sic saxa quondam Threicium ferunt
Sequuta vatem, dum per inhospitas
  Rupes, ademptam dum per imas
    Quæreret Eurydicen latebras.
Qui postquam Averni constitit ad fores;
Et cor ahenum leniit Æaci;
  Flexitque suspensis bibentes
    Auribus Eumenides querelam;
Heu legis amens immemor, & sui;
Effudit altas frustra iterum preces,
  Frustrà revertentem puellam
    Ad tenebras iterum secutus.
Quam mox nivali flevit in Ismaro;
Flevit sub Æmi cautibus horridis;
  Seu ferret atras vesper umbras,
    Sive diem veniens Eous.
At tum occupavit plectra silentium,
Insanientûm cum Ciconum furor

Sparsit

Sparsit cruenti membra vatis
    Stipitibus lacerata quernis.
Cum lingua sacris faucibus eruta,
Futura mergis esca coracibus,
  Ter visa flecti; ter sub Hebro
    Ah miseram Eurydicen vocavit.
Sed siste inanem barbite næniam:
Nunc in beatis Thracius insulis
  Exultat heros, & repertæ
    Conjugis in gremio recumbit.
Quin Martialem dic potius ducem
Illustriori carmine; quem legat
  Ætas nepotum, donec Atlas
    Orbis onus grave sustinebit.

ANGELI

ANGELI POLITIANI

SYLVA cui titulus RUSTICUS,

In Poetæ Hesiodi Virgiliique Georgicon enarratione pronunciata.

RUris opes saturi, gravoq; agitanda colono
Munera, & omniferæ sacrum telluris honorem
Ludere septenâ gestit mea fistula cannâ;
Fistula, Mantoæ quam nuper margine ripæ
Ipse renidenti dum dat mihi Tityrus ore
Hâc, puer, Ascræum repete, inquit, arundine carmen.
Pan ades, & curvi mecum sub fornice saxi
Versibus indulge; medio dum Phœbus in axe est,
Dum gemit ereptâ viduatus compare Turtur,
Dum sua torquati recinunt dictata palumbes.
Hic resonat blando tibi pinus amata susurro;
Hic vaga coniferis insibilat aura cupressis;
Hic scatebris salit, & bullantibus incita venis
Pura coloratos interstrepit unda lapillos;
Hic tua vicinis ludit lasciva sub umbris,
Jamdudum nostri captatrix carminis, Echo.
Fœlix ille animi, Divisque simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxûs:
Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ:
Urbe procul, voti exiguus, sortemque benignus
Ipse suam fovet, ac modico contentus acervo,
Non spes corde avidas, non curam pascit inanem;
Securus quò sceptra cadant, cui dira minentur
Astra, & sanguinei jubar exitiale cometæ,

Non

Non illum fragilis favor, indocilisque potenti
Plebs servare fidem, evectum popularibus auris
Casuro imponit solio; nec ducit hiantem
Huc illuc vanos ostentans purpura fasces.
Non mentem pavet ipse suam, nec conscius omnes
Exhorret strepitus; nec edaci pectora culpâ
Carpitur occultè; non opportunus iniqui
Judicio vulgi, aut celsa conspectus in arce
Degeneri patet invidiæ; non ipse vicissim
Obliquo livore macet, fœtusque veneno
Æstuat, atque aliena oculis bona limat acutis.
Rure agit in vacuo, spatiisque indulget aperti
Ætheris, aut operi insudans, aut ille supinos
Evadens cursu in montes: Hinc scilicet omnes
Gratæ epulæ, nudis Acheloum in pocula palmis
Advocat, excussæque cibos dant brachia sylvæ;
Et fessa in duro renovantur membra cubili;
Major quippe venit comitata labore voluptas,
Nec satias dominam, aut fastidia lenta sequuntur.
Ergo neque imbrifero pallens Autumnus hiatu,
Nec malus hunc afflat rabioso Sirius astro,
Sævaque Riphææ labefactant frigora brumæ.
Quippe hyemem excipere, & ventos, cœlique ruinam
Suetum, atque octipedem, nec opaco vertice, cancrum;
Et Jove sub gelido nocturnos carpere somnos;
Et pede concretas nudo calcare pruinas;
Et perferre sitim, & jejunia solvere glande;
Et lassare feras cursu, & superare natatu
Torrentem, & volucri fossam transmittere saltu;
Et quercum annosam ferro obturbare bipenni:
Tum prædam extorquere lupo, fascique maligno
Subjecisse humeros, & iniqui pondera rastri
Prædurâ tractare manu, & domitore lacerto
Sub juga cornigeri colla obluctantia tauri
Ducere, & iratis concurrere cominùs ursis.
Hinc agilis subit ora vigor, robustaque magno

Pectore

Pectore vis habitat, fortesque animosa tuentur
Membra tori, & crudo tendunt se robore nervi;
Hinc facies procera, hinc fronti Martius horror.
Quod si bella vocent, quis ad aspera promptior arma?
Aut quis equum sternacem arctis fregisse lupatis
Acrior? aut fortem mucrone haurire cruorem?
Aut torquere sudem? aut nervo exturbare sagittam?
Aut præpilatis aciem perrumpere contis?
Quis certet duro agricolæ? seu ducere vallum,
Seu sit opus celso præcingier aggere castra;
Seu fronte adversâ tormentum figere ahenum,
Quod tonitru horrifico magnas sternentia turres
Ardua fulmineo jaculetur saxa rotatu:
Seu vigil insomnem peragat custodia noctem;
Seu tacitum rapiatur iter; seu parcere parto
Conveniat, si fors lentâ obsidione premantur.
Scilicet his Babylon dextris, Nabathæaque regna
Creverunt: hic Mopsopio delectus ab arvo
Miles Achæmenium Marathonis in æquore Persen
Contudit; his adjuta viris se Romula tellus
Imposuit mundo, & rerum tractavit habenas.
  Nunc age, quæ studia agricolis industria solers
Extudit, atque operum quanta experientia dicam.
Protinus extremo cum jam Boreas autumno
Incubuit terris; primo cum frigore tactæ
Labuntur frondes, maternaque brachia linquunt,
Nec cariem cæsæ formidant robora sylvæ:
Ecce sagax tacitam venientis rusticus anni
Curam corde coquit, quâ bubus ab arbore plaustrum
Dedolet, unde juga, & curvum fabricetur aratrum.
Nec mora, quin veteris truncata cacumina fagi,
Chaoniæque cadant quercus, nudataque ramos
Ulmus, & audaci laurus sonet icta securi.
Quarum quæque novam fumo explorata calenti
Vertitur in faciem, diversaque munia tractant.
Continuò, auditus gruis inter nubila clangor

Agricolam citat, & criſtâ ſpectabilis altâ
Auroram gallus vocat applaudentibus alis.
Excitat ille operum ſocios, ſimul horrida cautus
Terga rudi centone fovet, capitique galerum
Induitur, crudusque operit veſtigia pero:
Hinc ſaturos jungens loris ad aratra juvencos
Increpitat ſtimulo, & cantu minuente laborem
Prælongis ferrata terit dentalia ſulcis;
Ac latè elicibus collectos exprimit imbres:
Jejunamque fimo tellurem, & rudere paſcit.
Tum plenum farris, lævâ ſervante, caniſtrum
Semina diſpenſat parcâ cerealia dextrâ:
Quæ, ne jacta avidæ populentur grana volucres,
Et prædam ſublime ferant; it ponè minutus
Sarcula parva tenens puer, & frugem obruit arvo.
At cum ſe Eois jam veſpertinus ab undis
Extulit Arcturus, cum verſicoloribus ardet
Terra comis, rutiloſque interviret herba colores;
Daulias, & Getici tandem ſecura mariti
Ales adeſt, plauſuque larem cantuque ſalutat.
Rurſum invadit opus, ſtivæque innixus, adunco
Ponè nigreſcentes proſcindit dente novales,
Quas rapidi ſoles urant, gelidæque pruinæ.
Mox ubi jam ſapiens cœpit frondeſcere morus;
(Antè quidem ſapiens, nunc ambitioſa, nec ullum
Quæ pariat pomum, ſed ſerica penſa miniſtret)
Ille aliam atque aliam culturam dulcis agelli
Pertentans, truncos plantariaque infodit arvo;
Nec pictas lugubre fabas, nec pabula parcit
Vervacto mandare patri; glebaſque bicorni
Perſequitur ferro, & ſecat inſuperabile gramen;
Et montem cædit ſcrobibus, fortique bidente
Terga ſoli frangit; Bacchæaque ſemina rectum
Explicat in quincuncem, & differit ordine longo;
Atque iterum, atque iterum terrâ capita ima frequentat,
Et ramos tondet falce, atque impune fluentem

Compeſcit vitem fingens, & robore fulcit
Deciduam, caræque hærentem in pectore matris
Acclinat ſobolem ſulco, juxtaque pro agat:
Aut ipſo durus genitricis ab ubere flentis
Abſciſſam rapit, atque aliò traducit alendam.
Quid dicam? externis cum ſe vernacula ſuccis
Robora nobilitant, peregrinaque ſemina duri
Accipiunt trunci, aut diſcreto germina libro.
Namque oculis oculos, non blandi tempora veris
Jungere, ſed mediis gaudet fervoribus æſtas,
Æſtas, congeſtos Cereris tritura maniplos;
Æſtas, abſconſum ſiliquâ excuſſura legumen;
Æſtas, quâ grandes expectant horrea meſſes,
Dum coacervatas eventilet area fruges,
Quæ Tyros & Babylon radio pinxêre ſonanti:
At jacet in molli projectus ceſpite membra;
Quà cavus exeſam pumex teſtudinat antrum,
Quave ſuſurranti crinem dat aquatica vento
Arbor, & aut calamos, aut fixa haſtilia jungit
Cortice, ſtatque levi caſa frondea nixa tigillo;
Quam metuant intrare pavor, curæque ſequaces,
Sub qua jucundos tranquillo pectore ſenſus
Nutrit, inabruptoque fovet ſua corpora ſomno,
Sylvarum & pecoris dominus. Stant ſedula circùm
Turba canes, audaxque Lacon, acerque moloſſus.
Dant ignem extritum ſilices; dant flumina nectar
Hauſta manu; dat ager Cererem: non caſeus, aut lac
Lucorumve dapes abſunt; ſtat rupibus ilex
Mella ferens trunco, plenoque cacumine glandem.
Illi ſunt animo rupes, frondoſaque teſqua,
Et ſpecus, & gelidi fontes, & roſcida Tempe,
Valleſque, Zephyrique, & carmina denſa volucrum,
Et Nymphæ, & Fauni, & capripedes Satyriſci,
Panque rubens, & fronte cupreſſiferâ Sylvanus,
Silenique ſenes, ſubdivalleſque Ithyphalli,
Et montana Pales, & quo paſtore Pheræi

Gaudebant campi, & crinem resoluta Mimallon;
Et qui cornigera bicolores fronte corymbos:
Pampineamque manu tenera quatit Evius hastam:
Semper amor, semper cantus & fistula cordi est,
Semper odorati, Venerisque stipendia, flores,
Vitarumque altrix, urbi malè nota, voluptas:
Talibus in studiis pastor molle exigit ævum.
Post ubi raucisonæ, pinna vibrante, cicadæ
Increpuêre, ardensque metentibus ingruit æstus,
Paulisper tum cessat opus, saxique sub umbra
Prostrati indulgent genio: non mollia pleno
Desunt vina cado, non lacti mixta polenta,
Aut pinguis tergum vitulæ, placidæque sonoræ
Lapsus aquæ, crinemque auræ, frontemque lacessunt.
Inde opus integrant, donec sub nocte coruscent
Flammigero parvæ stellantes clune volucres.
Ecce autem dulces labris pater ingerit uvas
Autumnus, crebræque elisus verbere plantæ,
It per prærla latex, puerique examine denso
Exultant lasciva cohors, circumque, supráque.
Ille manu panda pronus bibit; alter ab ipso
Sugit musta lacu crepitantibus hausta labellis:
Hic sua suspensum resupinus in ora racemum
Exprimit; hic socii patulos irrorat hiatus,
Irriguumque mero sordet mentumque sinusque,
Ebriaque incertis titubant vestigia plantis.
Postquam acris successit hyems, & pendula tectis
Diriguit glacies; larga strue tollitur altè,
Collucetque focus: coeunt vicinia simplex
Unà omnes, juvenesque probi, materque severa
Conjuge cum duro, & pueris, & virgine grandi,
Convigilantque hilares, & primæ tempora noctis
Decerpunt, molli curas abigente Lyæo.
Mutuaque inter se ludunt; tum tibia folle
Lascivum sonat inflato, tum carmina cantant;
Carmina certatim cantant; tum tenta recusso
Tympana supplodunt baculo, & cava cymbala pulsant,

Et læti saltant, & tundunt æribus æra,
Et grave conspirat cornu tuba flexilis unco,
Conclamantque altum unanimes, tolluntque cachinnos.
Porro autem, quanta est differtæ copia villæ?
Quamque penu dives! neque enim vel frugibus hornis
Horrea sufficiunt, vel odoro dolia musto;
Testaque Palladis iam non vacat ulla trapetis.
Terga suis pendent fumoso sordida tigno,
Pertica pensilibus oneratur longa racemis,
Non uvæ arentes, non pruna, & carica desunt;
Sorbaque cum cerasis, duroque putamine clausa
Persica nux, regumque altas imitata coronas
Mespila, cumque pyris miserorum munus amantum.
Jam laxum in rugas malum, decoctaque ahenis
Defruta, & omphacinus liquor, & lachrymosa sinapis,
Et meditata novas Sicyonia bacca sapores.
Tum sapa melque recens, edulcatique lupini,
Et prunæ increpitans balanus, contextaque cannis
Fiscina lacte madens, & durati sale fungi.
Annonam facilem vicinus suggerit hortus;
Murmur apricantes nivea dant turre columbi,
Expandunt alas, & amicam blanda rogantes
Oscula circumeunt, insertantque oribus ora:
Jam vicibus nido incubitant, genitrixque paterque,
Jamque ova excludunt, natisque implumibus escam
Commansam alternant, rostellaque hiantia complent.
Adde gregem chortis, cristatarumque volucrum
Induperatores, laterum qui sydera pulsu
Explaudunt, vigilique citant Titana canore;
Et regnum sibi Marte parant; quippe obvia rostris
Rostra ferunt, crebrisque acuunt assultibus iras,
Ignescunt animis, & calcem calce repulsant
Infesto, adversumque affligunt pectore pectus.
Victor ovans cantu palmam testatur, & hosti
Insultans victo, pavidum pede calcat iniquo:
Ille silet, latebrasque petit, dominumque superbum

Ferre gemit; comes it merito plebs cætera regi,
Formoſo regi; cui vertice purpurat alto
Faſtigatus apex, dulcique errore coruſcæ
Splendeſcunt cervice jubæ; perque aurea colla,
Perque humeros it pulcher honos; palea ampla decenter
Albicat ex rutilo, atque toroſa in pectora pendet
Barbaricum in morem; ſtat aduncâ cuſpide roſtrum,
Exiguum ſpacii roſtrum, flagrantque tremendum
Ravi oculi, niveaſque caput late explicat aures:
Crura pilis hirſuta rigent, junƈturaque nodo
Vix diſtante ſedet: durus veſtigia mucro
Armat; in immenſum pinnæque hirtique lacerti
Protenti excurrunt, duplicique horrentia vallo
Falcatæ ad cœlum tolluntur acumina caudæ.
Ipſe ſalax totam fœcundo ſemine gentem
Implet; & oblongo nunc terram ſcalpurit ungui,
Rimaturque cibos; nunc edita nubila viſu
Explorat cauto: non illum ſquamea tuto
Aggreditur ſerpens, non raptor ab æthere milvus.
Vocibus interea crebrum ſingultat acutis
Parturiens conjux; quæ ſcilicet ova ſubinde
Tollit anus, ſignatque dies, vigilemque lucernam
Conſulit, & lunæ creſcentis tempora ſervans,
Ut primum gallina glocit numero impare ſubdit:
Verſatiſque diu, ſolers auſcultat, an intus
Pipiat involucer pullus, tenerumque putamen
Pertuderit molli roſtro, atque erumpere tentet.
Parte aliâ biſero plumoſam corpore meſſem
Nutrit, & in craſſâ ſatur urinare lacuna
Anſer avet, ſtagnumque ſuper pede remigat udo
Depiƈtæ cervicis anas, prolemque natatum
Invitans, nunc extat aquis, nunc mergitur altè.
Erigit explicitæ gemmata volumina caudæ
Ambitioſus amans: at ficu & polline gliſcit
Pellaci cantu deceptus ab aucupe turdus.
Inſidit mutilo turtur, ſeſeque ſaginans

Rauca

Rauca gemit, dulcesque miser suspirat amores;
Flet viduus perdix; queritur peregrina coturnix
Inclusi caveis: hic cæca cuniculos antra
Excavat; hic septo prægnans lepus errat in amplo,
Capreolique hinulique & aduncis dentibus apri:
Hic stertunt glires; hîc fœmina fœtat echinus;
Dædala somniferos peragunt examina bombos;
Plenaque captivos servant vivaria pisces.
Scilicet his opibus placidè sua corpora curant;
Dulciaque inter se læti tellure magistrâ
Officia exercent; ut quæ neque ferre recuset
Imperium, neque non grandi mercede rependat,
Siqua laborifero debentur farra colono.
Ille autem & volucri petit ardua sydera mente;
Scrutaturque sagax, quæ sit sententia divûm:
Quid quæque emergens, latitansve, oriensve, cadensve
Stella paret; quid quadruplici celer afferat annus
Cardine; quæ sulcis; quæ sint stata tempora messi;
Quidque pecus vehat Olenium; quâ grandine colles
Trux Nepa dilapidet; quo turbine surgat Orion;
Quos glomerent imbres, aut pressus Arione delphin,
Aut Pleas, Arcturusque senex, Hyadesque puellæ,
Unde bibant herbæ divini pocula lactis;
Cur rubigo satis, uredoque vitibus obsit.
Tum sola pulverei pinguescunt arida campi,
Solvunturque putres glebæ, ac peritura lupini
Germina parturiunt; tum clivo rauca sonantes
Eliciunt aquæ, præcepsque recumbit agro fons.
Post ubi jam medio vestigia librat in axe
Ensifer Orion, croceoque insignis amictu
Aspicit Arcturum pulsâ Pallantias umbrâ,
Sentibus horrentes aperit jam vinea sepes;
Aureolamque metit lentis de vitibus uvam
Vinitor, & fœtos rubicundo nectare fructus,
Quos conjux, quos virgo comes, par vertice matri
Aut cistâ exportant, aut rasilibus calathiscis.

Nec ſentitur onus ſtudio; levat ipſa laborem
Sedulitas, quin frugiferos curvantia ramos
Poma ſinu, baccaſque ferunt, ficumque nucemque.
Nec nihil addit hyems: nigros tum laurea fœtus
Exuitur, tum myrta legunt, glandemque caducam;
Glaucaque Palladiæ diſtringunt brachia ſylvæ.
Nocte autem ad lychnos, aut junco texit acuto
Fiſcellam, aut crates virgis, aut vimine qualos
Ruſticus, infinditque faces, & robora valli;
Dolia quaſſa novat, ferramentiſque repellit
Scabritiem, tritâque docet ſplendeſcere cote.
Nam quid delicias memorem? quámque alta labori
Otia ſuccedant: jam primùm obſeſſa pruinis
Cum juga floriferi regelaverit aura Favoni,
Suave ſerenato rident vaga ſydera cœlo;
Suave ciet tardos per ſudum luna juvencos,
Ipſa quoque ætherii melius nitet orbita fratris,
Terque quaterque manu madidantes nectare crines
Exprimit, & glebas fœcundis roribus implet,
Vecta Meduſæo Tithonia præpete conjux.
Alma novum tellus vultu nitidiſſima germen
Fundit, & omnigenis ornat ſua tempora gemmis.
Idalio pudibunda ſinus roſa ſanguine tingit;
Nigraque non uno viola eſt contenta colore;
Albet enim, rubet, & pallorem ducit amantum:
Ut ſunt orta, cadunt, nive candidiora liguſtra:
Nec longum durant calathos imitata parentis
Lilia, ſed longum ſtant purpurei Amaranthi.
Hîc Salaminiaci ſcribunt ſua nomina flores,
Hîc gratum Cereri, plenumque ſopore papaver
Oſcitat, hic inhiat ſibimet Narciſſus: at illic
Corycios alit aura crocos, notumque theatris
Aera per tenerum flatu diſpergit odorem.
Nec jam flammeolæ connivent lumina calthæ,
Nec melilotos abeſt: Tyrium ſeges illa ruborem
Induit; hic vivo ceſpes ſe jactat in auro;
Hæ niveos, hæ cyaneos ſuperare lapillos Con-

Contendunt herbæ, vernantque micantia latè
Gramina per tumulos, perque umbriferas convalles,
Perque amnis taciti ripas, atque omnia rident,
Omnia luxuriant, & amicâ luce coruſcant.
Parturiunt ſtipulæ frugem, & genitalibus auris
Pervia, turgeſcunt lactentibus hordea culmis.
Palmes agit rupto lachrymantes cortice gemmas;
Seque rudes primis monſtrant in vitibus uvæ.
Dulce virent teneræ modo nata cacumina ſylvæ;
Succreſcuntque piæ pullorum examina matri.
Ipſa ſibi ignotas miratur adultera frondes
Arbor, & aſcitis nativas inſerit umbras.
Auricomæ, jubare exorto de nubibus adſunt
Horæ, quæ cœli portas atque atria ſervant:
Quas, Jove plena Themis, nitido pulcherrima partu
Edidit; Ireneque, Diceque, & mixta parenti
Eunomie, carpuntque recentes pollice fœtus.
Quas inter Stygio remeans Proſerpina regno
Comptior ad matrem properat: comes alma ſorori
It Venus, & Venerem parvi comitantur Amores,
Floraque laſcivo parat oſcula grata marito.
In mediis reſoluta comas, nudata papillas
Ludit, & alterno terram pede Gratia pulſat.
Uda choros agitat Nais, decurrit Oreas
Monte ſuo, linquunt faciles juga celſa Napœæ.
Nec latitat ſub fronde Dryas, non jubila Fauni
Fundere, non junctis Satyri dare ſibila cannis,
Nec querulæ ceſſant tenerum tinnire volucres.
Fluctibus Alcyone, denſâ Philomela ſub umbrâ,
Canus olor ripis, tecto vaga plorat hirundo;
Lene ſuſurrat apis, plenoque ſaporibus alveo
Candida multiforæ ſolidat fundamina ceræ.
Colludunt per prata greges, atque omne beato
Flagrat amore nemus: juvenem laſciva maritum
Fert equa, fert tergo ſalientem bucula taurum;
Setigeræque ſubant matres; decertat amator

Fronte

Fronte aries; avidos olidum pecus accipit hircos:
Spectant innisi baculis gaudentque magistri.
Inde ubi prægnantes partu Lucina recenti
Solvit, ut exæquet numero fœtura parentes;
Ipse rudem, nec adhuc vestigia certa prementem
Fert sobolem gremio; sed ovem gracilemque capellam
Enixas humero subit, atque in stramine molli
Componit sensim pastor, stabuloque recondit.
Mox ut convaluere, rubos hæc rupibus altis,
Illa recens campo gramen decerpit aprico;
Aut dulces gelido delibant amne liquores,
Ut sua conclusis ne desint pocula natis.
Utque fluat plenis dives mulsura papillis,
Subrumi expectant hœdique, agnique petulci,
Cornigerasque vocant tremulo clamore parentes.
Bruta gregem plenum densis alit uberibus sus,
Exporrecta solo, & grunnitu allectat amico
Fellantes, turpique luto se immunda volutat:
Radices eadem calloso avidissima rostro
Eruit; & bulbum, aut madidâ se pulte saginat.
Flet vitulum mœsta absentem mugitibus altis
Mater, & immensam raucis miseranda querelis
Sylvam implet; boat omne nemus, vallesque, lacusque;
Illa nigros late lucos, saltusque peragrat
Crebra gemens, crebra ad montem, stabulumque revisit
Tabescens desiderio: non ulla dolorem
Pabula, nec salicum frondes, nec gramina rore
Sparsa levant; non quæ viridi vaga flumina ripâ
Perspicuam tenui deducunt murmure lympham.
Prata tener persultat equus, libatque volucri
Æquora summa fugâ; aut alti subit aspera montis
In juga, saxosumque amnem pede pulsat inermi;
Cui pulchro micat acre caput, luduntque decoræ
Fronte comæ; vibrant aures, atque orbe nigranti
Prægrandes extant oculi: tum spiritus amplis
Naribus it fervens, stat cervix ardua, qualem
Præfert marmaricis metuenda leonibus ales; Ales,

Ales, quæ vigili lucem vocat ore morantem;
Crescunt spissa toris, latèque animosa patescunt
Pectora, consurguntque humeri, & jam sessile tergum est:
Spiraque depressos gemino subit ordine lumbos,
Et castigatum cohibent crassa ilia ventrem:
Fundunt se late clunes, subcrispaque densis
Cauda riget setis, & luxuriantia crebræ
Velant colla jubæ ac dextrâ cervice vagantur.
Tum tereti substricta genu, mollissima flectit
Crura ferox, celsum ingrediens, fremituque superbit,
Grande sonat tornata cavo brevis ungula cornu,
Ingenti referens Corybantia cymbala pulsu.
O dulces pastoris opes! O quanta beatum
Quam tenet hunc tranquilla quies! ut pectore toto
Lætitiam, totâque fovet bona gaudia mente!
Nempe odii fraudumque expers, exemptus inani
Ambitione, vacansque metu spe liber, & insons:
Nativo cultu, & gaza prædives agresti,
Ipse sibi vivit nullo sub teste, suoque
Pendet ab arbitrio, suus ipse est censor, & alto
Calcat opes animo, ac regum deridet honores.
Si non Tænari is illi stant fulta columnis
Robora, cælatumque alte laquearia subter
Ridet ebur, postemve silex Asaroticus ornat,
Nec Maurusiacos pulchræ testudinis orbes
Delphica sustentat, nec docto trita Myroni
Pocula multiplici florent radiantia gemma:
Aut bis in Herculeâ Milesia vellera concha
Versantur, tenuique satur lanugine bombyx
Luteolos folles, pretiosaque fila relinquit:
Textile nec tenero sub tegmine fulgurat aurum,
Spirantes referens vultus, quæ Pergamos olim
Artifici descripsit acu, quæ stamina Memphis,
Quid nebulas abigat, tempestatesque repellat:
Quod vento ingenium, quæ nubes causa serenet:
Quidque silens moneat, quidque inter menstrua Phœbe,
Vel cùm plena meat, vel cum decrescere rursum In-

Incipit: ille etiam numeros, legesque dierum
Providus observat; scit enim quid septima portet
In quâ nascentem excepit bona Delia fratrem.
Scit quoque post decimam quid prima, quid altera luces
Injungant operum; quocirca aut vellera lanæ
Demetit, aut gravido maturas mergite aristas;
Aut telam locat uxoris; nam pendula in ortu
Posteriore suos etiam net aranea casses.
Quæ sequitur bona virgultis, inimica serendis
Frugibus; ergo cavet, quod obest; quodq; expedit, urget;
Novit enim quota connubiis, quota partubus obstet,
Aspiretve dies, quota pinguem emasculet hœdum,
Septaque circundet pecori, quota jungat amantes,
Et clandestinos jubeat miscere susurros:
Quâ porat canis hirritum, malesuadaq; pectus
Cura nimis laceret; quâ tristis oberret Erinnys
Nocte magis; secat ille suo sibi tempore lignum;
Dolia degustat; subigit juga ferre juvencum.
De flabris quoque, de pluviâ, dulcique sereno,
Aut lunæ occasus, aut idem consulit ortus.
Tractat opus, si pura micet; sin atra recedat,
Aut quinto directa die, aut medio orbe retusa,
Nec gracili cornu, aut triplici sit culta coronâ;
Tecta subit metuens hyemes, si rubra coruscet;
Tum verò expectat ventos, nec fallit eundem
Quo Boream cornu, quo Cynthia provocet Austrum;
Consulit & Phœbi flammas, an grandinis augur
Palleat; an radiis monstret discordibus imbrem;
An præ se exoriens nubes agat; an niger orbem
Circulus extremum claudens, quà rumpitur, acres
Carceris Æolii moneat consurgere flatus:
Adnotat & cœli faciem; num stella sereno
Æthere lapsa cadat, rapidi prænuncia Cauri;
Conscia num subitâ semet caligine obumbrent
Astra, trahantque hyemem; gemino Thaumantias arcu
Quid ferat, aut curto cum vix secat aera gyro,

Et

Et penè unicolor taurinâ fronte minatur.
Nunc præsepe oculis, nunc Bacchi spectat asellos,
Quique Noton cernit, quique est obversus ad Arcton,
Fulgores, tonitrus, inspersaque vellera cœlo,
Brumalemque diem, & totum semel aspicit annum.
Nec non & nautis ruiturum in carbasa nimbum
Augurat, undisonum si fors mare surrigit Ægon,
Canaque conspergit sale saxa, & littora frangit.
Tunc & tristifico reboant montana fragore,
Et repetunt siccum mergi, atque ex æquore clamant.
Ipsa volans sublimè auras, æthramque lacessit
Ardea, colludunt fulicæ, plaunduntque gregatæ.
At lasciva lacus alis perstringit hirundo,
Et summas prope radit aquas, ranæque coaxant.
Fusca gradu cornix lento metitur arenas,
Aut fluvium capite, & madidâ cervice receptat,
Crocituque gravi pluviam increpat usque morantem.
Clangunt Naupliadæ volucres, & pervia pinnis
Nubila conscribunt; incertus in æquore delphin
Difflat aquas; latrant corvi, vocemque resorbent.
Progerit ova cavis patiens formica laborum:
Blanda canis terram pedibus scabit: ore lapillos
Tardigradus prendit cancer, sesêque saburrat,
Atque hæret ripæ: densum occinit improbulus mus,
Straminaque exculcat: quin centipedes scolopendræ
Parietibus reptant: aures pigra motat asella.
Dependent bullæ lychno; sitiensque cruoris
Musca redit, summosque proboscide mordicat artus:
Nec longè à tectis apis ingeniosa recedit.
Prunaque concretusque imâ cinis hæret in olla;
Carboque perlucet; neque non prænunciat Euros
Pluma natans, foliumve errans, pappique volantes:
Flammaque cum flectit, cum sese elidit, & ipsis
Vix sedet in stuppis, scintillamque excutit udam.
Vos quoque pastores ventos horretis, & imbres,
Cùm temerè excursans pecus ampla in pascua fertur;

Cumque

Nos veterum facta haud segnes repetamus avorum
Fortia, & ad priscum curam hanc vertamus honorem;
Quà fortuna sinit, quantum est concessa facultas.
Sitque prior, quem non metus, & gravis ira deorum
Terruit, Abyssæ non monstra immania terræ;
Quin facto egregio infernis se traderet aris.
Nam sive infensis Capitolî, arcisque Lycææ
Præsidibus superis, clausi seu turbinis æstu
Mota loco tellus spatii discrimine vasto
Abstiterat, medioque foro patefacta vorago
Abrupta in præceps, immensa orisque profundi
Summotas reserans fauces (trepidabile visu)
Tartaream ad noctem, ac sedes penetrârat Avernas,
Intuleratq; diem, cœloq; refuderat umbram.
Prodigium horrendum, ceu nigro abduntur hiatu
Tænara Cumææque domus latebrosa Sibyllæ!
Extemplo exciti monstro populusque, patresque
Concursu approperant magno, & de collibus altis
Densi adspectantes, Stygii ut portenta sepulchri,
Atque atram videre luem, rimosaque circùm
Æquora, & immani jamjam vi rupta barathro
Perculsis stupuere animis; tum frigidus artus
Concussit tremor, & subitò per membra cucurrit:
Nec jam stare gradu, aut tumulis sublimibus audent:
Sub pedibus latè scindi, infidumque labare
Omne solum, collesque ipsi subsidere in ima
Tartara, & obscurâ mergi sub nocte videntur.
Jamque metu trepidos, subitâque redire volentes
Inde fugâ fallit conatus, ægra receptum
Genua negant: gelido concretis sanguine fibris
Nec vires membris notæ, nec vox sonat ore.
Ac veluti si quando truci sub imagine somni
Declivi è scopulo ripâve horremus ab atrâ
Præcipitem casum; refugit calor ossibus omnis;
Et vires & membra cadunt: non anxia vocem
Verba sonant; pressos sopor, & timor alligat artus:

Haud

Haud ſecus Æneadæ gelidâ formidine tardos
Implicuere gradus, nec vis ſua tollit euntes,
Spectanteſque fugam, prorſuſque extrema trementes:
Tandem ubi gliſcenti gravis eſt mora viſa periclo,
Incubuitque malum violentius, & metus alter
Excuſſit ſtupidos, ac mentis reddidit uſum:
Quærere opem rebus ſummis & nitier omni
Auxilio, raptimque cavas explere latebras
Aggere projecto, & congeſtis molibus inſtant.
Incaſſum labor omnis, & irreparabile damnum
Humanam contemnit opem; ſpes una ſuperſtes,
Siquis apud Divos veniæ locus: ergo per omnes
Ire aras pueri & matres; timidæque puellæ
Supplicibus votis certatim expoſcere pacem
Numina ſancta Deum, cœloque extendere palmas:
Nec minus intereà Tyrrhenæ gentis aruſpex
Fata aperit, ſic divinis monſtrantibus extis,
Ore canens: ô Dardanii ſpes inclyta Iuli
Mars pater, aſtrifero genus & cui nobile cœlo,
Et virtute fidem, & præſtantibus adſtruit armis;
Non hæc Cœlicolum grave, & implacabile numen.
Nunc portenta novat, ſed hianti luridus orco
Eumenidum dolor, & ruptæ diſcordia terræ
Inſigni redimenda bono, quo maximus uſus
Imperii ad columen, famæque ſequentis honorem.
Hanc fati obſcuram vocem, monituſque Deorum
Concilio exceptos, non unis mentibus omnes
Accipere: ambigui ſenſus, diverſaque patrum
Murmura, nec cunctis eadem eſt ſententia linguis.
Acer erat bello, & primis ſpectatus in armis
Curtius eductum Curibus quem antiqua vetuſtis
Nobilitas laude, & ſerie decorabat avorum.
Namque ferunt, urbis jaceret cùm prima ſuperbæ
Fundamenta pater, captâque ex arce Sabini,
Fœminei ultores raptus, jam valle ſubirent,
Conferrentque aciem, atque anceps fortuna duelli

Ambigeret: facinus clarum, longéque fuisse
Egregiam laudem, & nomen memorabile Curtî.
Isque diem (postquam ad pacem versa arma ducesque
Imperii junxere fidem, dextrasque dedere)
In partem meritò patriæ & præclara vocatus
Præmia, nec studio deinceps, nec defuit usu
Romulidis, longamque dedit descendere prolem.
Tali ortus genere, & proaviti nominis hæres
Curtius, ardenti sæpe in certamine victor,
Quæsieratque manu decus, & virtute tenebat
Exsuperans animi Juvenis; sive arduus alto
In pugnam se ferret equo, seu Marte pedestrî
Adversum exciperet collatis ictibus hostem.
Huic pater æthereum superi conversor Olympi
Immittit subitò mentem, reseratque latentes
Fatorum ambages, ipsumque in funera posci
Submonet, & dubiæ quæ sit via certa salutis.
Ille ardet, largosque alti bibit ætheris ignes,
Divinum spirans: nec jam mortalia cordi.
In patriam quippe & pietas, & funeris atri
Exequiæ laudum æternæ, multusque suorum
Urget amor: tandem, velut acri concitus œstro,
Irrumpit medios, testatus numina Divûm.
Nec mora, pro patriâ infernis se destinat aris:
Arrectæ mentes cunctorum, omnisquè recessit
Pectoribus timor, & cæcis lux reddita rebus
Magnanimi juvenis fato inferiisque propinquis.
Curritur, effusiq; senes & vulgus inundant
Agglomerantq; foro; & si qua despectus in unum est
Ædesque, tumulosque, & culmina Pallantea,
Tarpeiamque arcem, & Divûm fastigia latè
Conventu cumulant pleno, addensantque coronas.
Jamque aderat longâ senior cum veste sacerdos
Funereis mœrens vittis; sacrumque litabat
Plutoni Stygio: ast alii nigrosque juvencos,
Et fur, as jugulant pecudes: ipse ordine vota

Nuncupat,

Nuncupat, & juvenem spargit fluvialibus undis,
Voce ciens triplicemque Hecaten, magnamque parentem
Tergeminosque Deos; tum numina dira precatur
Eumenidum, populoque gravem depellit Erinnym.
Stant taciti circùm, linguisque silentibus unum,
Unum omnes fixi obtutu, immotique tuentur
Armatum extantem, atque æratâ luce coruscum.
Ille autem (nam fata premunt, longasque recusant
Ferre moras) coram vacuum progressus in æquor,
Ut stetit abruptæ titubato in margine ripæ
Pallidus, inque atram dejecit lumina noctem:
Rettulit os rursum cœlo, sublataque tendens
Brachia, in has supplex exsolvit pectora voces.
Dii patrii, quorum auspiciis stat maxima Roma,
Et pater omnipotens, & nostri sanguinis auctor
Bellator Mavors, Vulcane, paterque Quirine,
Vestalesque foci, Janique biverticis ora,
Audite hæc, sanctumque precanti avertite numen.
Siqua (nefas) virtutem odit crudelis Erinnys,
Ad pœnamque vocat: fraus hic communis abesto
Unus ego haud segnis dextrâ, nec frigidus armis
Hanc animam, inferno umbrarum regi, & Stygiis Diis
Devoveo, lucemque volens, aurasque relinquo:
Tantùm dura mei fugiant discrimina cives:
Hanc spem, quam patriæ incolumis dant fata, sepulchri
Et mortis comitem posco ac mecum ire sub umbras.
Tum vos infensi manes, queis Romula virtus
Displicet, invidiamque movent ingentia facta;
In me omnes conferte iras, & quicquid acerbum est,
Vertite ab excidio patriæ, exitioque meorum:
Ipse luam simul hæc dixit, simul astitit olli
Conspicuusque auro, & Massyli pelle leonis
Acre fremens bellator equus, quo tendere in hostem,
Primus & obstantes incursu rumpere turmas
Suetus erat, subitâque acies turbare procellâ.
Hunc ubi terga premens dorsoque exceptus amico

Impulit, & notis habilem tremefecit habenis
Nil mortale putans, animique interritus heros:
Visa hominis major facies, procul ære refulget
Sanguineo galea, & flammis rutila arma coruscant.
Intereà cœlo superum Rex magnus ab alto
Urbem Dardaniam adspectans, sævæque superbum
Contemptorum animum mortis, dabat inclyta facti
Præmia, secum animo volvens, curamque fovebat:
Cum lacrymas promptumque ferens mœsto ore dolorem,
Tristis sic medio cœli super axe Quirinus
Alloquitur: ô cuncta pater qui fata gubernas,
Æternumque regis: en quo spectata tuorum
Incidit, aut quali damnatur funere virtus.
Non hæc exactis olim speravimus annis,
Cum sedem hanc terræ regno, externisque triumphis,
Romanumque tuo sancibas fœdere nomen:
Atque ante hostili virtutem opponere ferro
Unum opus, & labor unus erat, pretiumque laboris
Imperium patriæ, aut lethi sors clara ferebat.
Nunc jam quid superest, aut quam fortuna finit spem,
Si manes rigidos etiam & fera Tartara contra
Bellandum est? num dicta retrò mutata recurrunt
Fata tibi? aut cœpti piget, & sententia versa est?
Et nunc iste quidem juvenis capite improba rerum
Detrimenta luit, vivusque immittitur Orco
Inscius ullius culpæ. Sic digna rependis
Præmia, virtuti genitor? hæc gratia prompta est?
Siquod conceptum est in te facinusve, scelusve
Æneadis, generique meo, te verius ipsum
Tela dare, & septem repetitis ictibus arces
Fulmine dejicere, ac sedes abolere nepotum.
Sin autem & castæ sunt res, nec justius ullâ
Relligione pater coleris, sub numine semper
Roma tuo, purosque tibi meditatur honores:
Parce tuis, pacemque refer: sic Romulus orsus.
Tum pater, æthereo pellit qui nubila vultu,

Talibus

Talibus it contra. Nec te dolor iste timentem
Sollicitet, mea progenies; neve aspera fingas
Fata tibi, & cœptos animi dimitte labores.
Urbi Romuleæ latè debetur, ab ortu
Quicquid ad occasum rerum jacet, & vaga quicquid
Tethys obit, refluoque adlatrant æquora ponto:
Stat fixum hoc, nec fluxa retrò sententia nutat.
Quin jam aderit, cum tu Romana in sceptra videbis
Hesperiamque omnem, & gentes transire remotas,
Imperiumque genusque tuum ne triste querare
Supplicium egregii juvenis. Non ille sub umbras
Tartareas manesve cadens descendet ad imos.
Hunc animum, has mentes, hæc corda excelsa tuorum
Esse velis, fretosque sua virtute Quirites
Et conferre manum fortunæ, & temnere mortem.
Sic etenim via, sidereas quæ ducit ad arces,
Et famæ meritum steterit decus his ubi mœstum
Leniit omnipotens dictis, gemitumque repressit;
Continuo tacitus secum majora volutat.
Stant Jovis ad solium geminæ super astra sorores
Mente satæ æternâ, queis cœtu est cura Deorum
Adlegisse pios, humanaque nectere Divis.
Harum unam Pietatem alto descendere ab axe
Imperat & Curtî manes adsistere sacros:
Illa Jovi parens, nimbo fulgente per auras
Cincta volat, longamque cito dat tramite lucem;
Qualis sæpe polo saliens sub nocte serenâ
Stella fugit cursus subito trajecta volucres.
Et jam Tarpeii supra fastigia templi
Astitit, inque arce extremâ delapsa resedit:
Cum juveni visa est mentem majoris imago
Accendisse Deæ. Juvat ire in funus & omnes
Præcipitare moras: sonipes sub pondere sueto
Ardet inexpletum exultans; jamque ardua jactat
Brachia, jam pede tundit humum, hinnitusque canoros
Suscitat, & vivos scintillat naribus ignes.

Est

Est locus extructo suggestu & molibus exstans,
Parte fori adversâ (celeber, quem nomine noto
Rostra vocant; primi unde duces plebisque magistri
Affari populum, atque edicere scita solebant.
Hinc juvenis fræno & ferratis calcibus acrem
Egit equum, lora effundens: hinc fervidus illum
Impulit: attoniti primo motu fremituque
Diriguere omnes, mens & calor ossibus hæsit.
Ille rapit medium campi, cursuque citatum
Quadrupedem vastæ immittens in aperta ruinæ
Dat se in prærupta, atque ingenti rupe secuta
Involvensque ruensque specu descendit ab alto.
Ac velut aërio præceps cum monte revulsum
Saxum ingens in prona ruit, molesque subactas
Volvit, & assultu rapido latera obvia rumpit;
Dant gemitum lateque fragor geminatur in auras.
Sic tellus, sic præcipiti pulsata ruinâ
Contremuere fora, & longas referentia voces
Templa sonant: stetit obtutu stupefactus & amens
Intento populus circum, immotusque pependit
Magnus eques usque attonitis, horrorque, feroxque
Procursus, cladesque viri suprema moratur
Ante oculos: etiam arma tonant, etiam auribu ingens
Insultat fragor, & torpentia pectora pulsat:
Currentemque diu trepidant, horrentque cadentem.
Ut primum sonitum, atque umbras discussit inanes
Reddita mens, cœloque dies oblata sereno est;
Emotæ extemplo curæ cunctique reversi
Ereptum ad juvenem sensus: viridis subit ætas
Digna Deûm potius veniâ, fatisque secundis,
Et decor, & mores placidi: tum clara recursant
Facta animis, tantæque recens pietatis imago,
Verbaque, supremæque preces; quo funere certus
Occiderit, patriasque cadens servaverit arces,
Ultro, morte obitâ, & pallentes missus in oras.
Cum tamen hunc miserum spes desolata parentum,

Conjugis

Conjugis & charæ fletus, natique vocarent;
Dilecti ad curam laris antiquosque penates;
Tantum illum patriæ & generi tribuisse suorum,
Ut sese exitio & fatis communibus unus
Traderet. Hæc inter liquentia pectora dulcis
Stringere amor, lacrymæque sequi, & crebrescere voces
Laudantum, ac sortem miserantum mortis acerbam.
Et jam confusum diverso ex agmine murmur
Attollit magis, atque magis jam sparsa solutis
Turba ruit cuneis; fremitu sonat arduus æther,
Ceu quondam in sylvis leni cum flamine primum
Offensæ crepitant frondes, & lenta susurrant
Murmura: mox valido si turbine fortior Auster
Incubuit, stragemque dedit; strepit omne tumultu
Confusum nemus, & populata cacumina jactat,
Consternitque solum ramis; it stridor ad auras.
Jamque patres, primique ducum, lectique senatus
Fatorum augurio proceres, quique alta gerebant
Imperia, aut sacros ornabant vellere canos:
Incessu tacito coeuntis ad ostia terræ
Adveniunt, cinguntque lacum: tum cætera circum
Turba premit, cœtusque implet stipata profundos.
Et nunc hac, rursum hac impulsum fluctuat agmen.
Dant fruges tumulo lætas, & munera prima
Apponunt: pars incensis altaria flammis
Constituunt, peraguntque preces, & ritè sacratos
Describunt fines lituo, frontemque, latusque,
Ultimaque; & meritos grati testantur honores,
Certatim effusi in laudes: hinc nota frequentant
Militiæ decora & murales sæpe coronas,
Defensumque manu civem, sociosque receptos,
Indomitumque animi Volscum, vel comminus ense,
Eminus aut jaculo atque irarum vindice dextrâ
Prostratum; spolia inde cavis astantia tectis:
Ut non consilio inferior quam fortibus armis
Sæpe locum insidiis deprenderit ad juga, sæpe

Inclinatam

Inclinatam aciem turbataque signa suorum
Acriùs intulerit pugnæ, turmasque morantes
Vi junctæ virtutis equoque obnixus ab alto
Impulerit: tu non hostili cæde tepentes
Sternere agros, non magnanimûm præferre trophæis
Martia dona ducum, laudis metamque modumque
Esse tuæ decorumve sinis: tu sæva refutas
Portenta, & Stygium præclarâ morte furorem.
Te diri stupuere amnes; te sancta cadentem
Concilium ad superum, cernentis ad omnia cœli
Extulit & Pietas, & vitæ prodiga virtus.
Salve certa salus patriæ: tibi præmia mille
Sydereis collata locis; nec plura mereri
Fas homini est, aut si fato quis major eodem
In terram Deus ille alto demissus Olympo.
Et tamen humanæ quantum tibi reddere laudes,
Quantum animi linguæque valent; non gratia deerit,
Non Amor officiove decus: celebrabere grati
Voce ævi, generisque tui servator & urbis.
Nec minus intereà lacus, hic quem funere magno
Implêsti moriens facti immortalis honore
Perpetuum sanctumque tuum & memorabile nomen
Proferet, æternæque aram virtutis habebit.

SE-

SELECTA POEMATA
ITALORUM.
PARS IV.
MARCI HIERONYMI VIDÆ
CREMONENSIS

Scacchia Ludus.

Ludimus effigiem belli, simulataque veris
Prælia, buxo acies fictas, & ludicra regna;
Ut gemini inter se reges, albusque, nigerque
Pro laude oppositi certent bicoloribus armis.
Dicite Seriades Nymphæ certamina tanta,
Carminibus prorsus vatum illibata priorum.
Nulla via est: tamen ire juvat, quo me rapit ardor,
Inviaque audaci propero tentare juventâ.
Vos per inaccessas rupes, & inhospita euntem
Saxa Deæ regite, ac secretum ostendite callem.
Vos hujus ludi in primis meminisse necesse est.
Vos primæ studia hæc Italis monstrastis in oris
Scacchidis egregiæ monimentum insigne sororis.
Jupiter Æthiopum sedes, & Memnonis arva
Iverat, Oceani mensas dignatus amici,
Qui sibi tum optatis junxit tellurem hymenæis.
Affuit una omnis superûm chorus: omnia festo

Æquo-

Æquoris immensi resonabant littora plausu.
Ut dapibus compressa fames, mensæque remotæ,
Quo Superum mentes Ludo mulceret inani,
Oceanus tabulam afferri jubet interpictam.
Sexaginta insunt & quattuor ordine sedes,
Octono parte ex omni via limite quadrat
Ordinibus paribus, nec non forma omnibus una
Sedibus, æquale & spatium, sed non color unus.
Alternant semper variæ, subeuntque vicissim
Albentes nigris, testudo picta supernè
Qualia devexo gestat discrimina tergo.
Tum Superis tacitè secum mirantibus inquit,
Marti aptam sedem, ludicraque castra videtis.
Hoc campo adversas acies spectare licebit,
Oppositis signis belli simulachra ciere;
Quæ quondam sub aquis gaudent spectacla tueri
Nereides, vastique omnis gens accola ponti,
Si quando placidum mare, & humida regna quiêrunt.
En verò simulata adsunt qui prælia ludant.
Sic ait; & versâ in tabulam deprompsit ab urnâ
Arte laboratam buxum, simulataque nostris
Corpora, torno acies fictas albasque nigrasque,
Agmina bina, pari numeroque, & viribus æquis,
Bis niveâ cum veste octo, totidemque nigranti.
Ut variæ facies, pariter sunt & sua cuique
Nomina; diversum munus, non æqua potestas:
Illic & reges paribus capita alta coronis,
Et regum pariter nuptas in bella paratas
Cernere erat: sunt qui pedibus certamina inire
Sueti, sunt & equis qui malint, quique sagittis;
Nec deest, qua ferat armatas in prælia turres,
Bellua; utrinque Indos credas spectare Elephantes.
Jamque aciem inversum statuunt, structæque cohortes
Procedunt campo, castrisque locantur utrisque.
Linea principio sublimes ultima reges
Parte utrâque capit, quartis in sedibus ambos
Tractu

Tractu eodem adversos inter se, sex tamen æquis
In medio sedes spatiis hinc inde relictæ.
Sede albus sese nigrâ tenet, ater in albâ.
Proxima reginas capit orbita: regibus ambæ
Hærent, quæque suo; dextrum latus altera, lævum
Altera lege datis tangunt Stationibus, atrumque
Atra tenet campum, spatio stat candida in albo,
Et proprium servant primâ statione colorem.
Inde sagittiferi juvenes de gente nigranti
Stant gemini, totidem pariter candore nivali,
Nomen Areiphilos Graii fecere vocantes,
Quod Marti ante alios chari fera bella lacessant.
Continuo hos inter rex, nec non regia conjux
Claudunter medii: duo dehinc utrinque corusci
Auratis eqnites sagulis, cristisque decori
Cornipedes in aperta parant certamina Martis.
Tum geminæ velut extremis in cornibus arces,
Hinc atque hinc altis stant propugnacula muris,
Quas dorso immanes gestant in bella Elephanti.
Postremò subeunt octo hinc atque inde secundis
Ordinibus pedites, castrisque armantur utrisque
Armigeri partim regis, partimque ministræ
Virginis armisonæ, quæ prima pericula belli,
Congressusque ineant primos, pugnamque lacessant.
Non aliter campis legio se buxea utrinque
Composuit duplici digestis ordine turmis,
Adversisque ambæ fulsêre coloribus alæ,
Quam Gallorum acies, Alpino frigore lactea,
Corpora si tendant albis in prælia signis
Auroræ populos contra, & Phaethonte perustos
Insano Æthiopes, & nigri Memnonis alas.
Tum Pater Oceanus rursus sic ore loquutus:
Cœlicolæ, jam quænam acies, quæ castra, videtis;
Discite nunc (neque enim sunt hæc sine legibus arma)
Certandi leges, nequeant quas tendere contra.
Principio alterni reges in prælia mittunt

Quem pugnæ numero ex omni elegêre suorum.
Si niger arma ferens primus processit in æquor,
Continuò adversum semper se candidus offert,
Nec plures licet ire simul facto agmine in hostem.
Propositum cunctis unum, studium omnibus unum
Obsessos reges inimicæ claudere gentis,
Ne quò impune queant fugere, atque instantia fata
Evitare; etenim capiunt ita prælia finem.
Haud tamen interea cuneis obstantibus ultrò
Parcunt, sed citius quò regem sternere letho
Desertum evaleant, cædunt ferro obvia passim
Agmina: rarescunt hîc illic funere semper
Utraque castra novo, magis ac magis area belli
Picturata patet, sternuntque caduntque vicissim.
Sed cædentem opus est sublati protinùs hostis
Successisse loco, & conatus vindicis alæ
Sustinuisse semel; mox si vitaverit ictum
Inde referre licet se in tutum præpete plantâ.
At pedites prohibent leges certaminis unos,
Cùm semel exierint (facilis jactura) reverti.
Nec verò incessus cunctis bellantibus idem,
Pugnandive modus: pedites in prælia euntes
Evaleant unam tantùm transmittere sedem,
Inque hostem tendunt adversi & limite recto.
Congressu tamen in primo fas longiùs ire,
Et duplicare gradus concessum; at comminùs hostem
Cùm feriunt, ictum obliquant, & vulnera furtim
Intentant semper lateri, cavaque ilia cædunt.
Sed gemini claudunt aciem qui hinc inde Elephanti,
Cùm turres in bella gerunt, ac prælia miscent,
Rectâ fronte valent, dextrâ, lævâque, retroque
Ferre aditum contrà, campumque impunè per omnem
Proruere, ac totis passim dare funera castris.
Ne tamen obliquis occultent nixibus ictum,
Qui tantùm mos concessus pugnantibus arcu
Dilectis Marti ante alios: nam semper uterque

Fertur

Fertur in obliquum; ſpatiis nigrantibus alter,
Alter candenti ſemper ſe limite verſat,
Directiſque ineunt ambo fera bella ſagittis:
Nec variare licet, quamvis fas ire per omnem
Hinc atque hinc campum, atque omnes percurrere ſedes.
Inſultat ſonipes ferus, atque repugnat habenis.
Nunquam continuò ſtipata per agmina ductu
Procurrit; tantùm ſurſum ſeſe arduus effert
Semper, & in gyrum greſſus magno impete lunat
Curvatos, duplicemque datur tranſmittere ſedem.
Si nigrante prius campo expectaverit, album
Mox petere, & ſedis ſemper mutare colorem
Lex jubet, ac certo ſemper ſe ſiſtere ſaltu.
At Regina furens animis pars optima belli
In frontem, in terga, ac dextram, lævamque movetur;
Itque iter obliquum; ſed ſemper tramite recto
Procedit: neque enim curvato inſurgere ſaltu
Cornipedum de more licet: non terminus olli,
Nec curſus meta ulla datur; quocunque libido
Impulerit, licet ire, modo ne ex agmine quiſquam
Hoſtilive, ſuove aditus occludat eunti,
Nulli etenim ſuper educto fas agmina ſaltu
Tranſiliiſſe; equiti tantum hæc conceſſa poteſtas.
Cautiùs arma movent gentis regnator uterque;
In quibus eſt omnis ſpes, ac fiducia belli.
Omnibus incolumi Rege ſtat cernere ferro,
Sublato pugnâ excedunt, & caſtra relinquunt.
Ille adeò in bello captus ſecum omnia vertit.
Ergo hærens cunctatur, eum venerantur, & omnes
Agmine circumſtant denſo, mediumque tuentur:
Utque armis ſæpe eripiant, ſua corpora bello
Objiciunt, mortemque optant pro rege paciſci.
Non illi ſtudium ferendi, aut arma ciendi;
Se tegere eſt ſatis, atque inſtantia fata cavere.
Haud tamen obtulerit ſe quiſquam impune propinquum
Obvius, ex omni nam ſummum parte nocendi

Jus habet: ille quidem haud procurrere longiùs ausit,
Sed postquam auspiciis primis progressus ab aulâ
Mutavit sedes proprias, non ampliùs uno
Ulterius fas ire gradu, seu vulneret hostem,
Seu vim tela ferant nullam, atque innoxius erret.
Hìc mos certandi, hæc belli antiquissima jura.
Nunc aciem inter se certantem cernite utramque.
Sic ait: at quoniam quoties fera bella fatigant
Mortales, superi studiis diversa foventes
Ipsi etiam inter sese odiis bellantur iniquis,
Maximaque interdum toto ardent prælia cœlo,
Juppiter omnipotens solio rex fatus ab alto
Omnes abstinuisse jubet mortalibus armis;
Atque minis, ne quem foveant, perterret acerbis.
Tum Phœbum vocat intonsum, Atlantisque nepotem
Egregium furto, peperit quem candida Maia,
Insignes ambos facie, & florentibus annis.
Nondum Mercurius levibus talaria plantis
Addiderat: nondum Titania lumina agebat
Per liquidum curru gemmato Phœbus Olympum
Tantùm humeros pharetrâ insignis, & crinibus aureis,
Hos pater adversis solos decernere jussit
Inter se studiis, & ludicra bella fovere,
Ac partes tutari ambas, quas vellet uterque:
Necnon proposuit victori præmia digna.
Dii magni sedere: Deûm stat turba minorum
Circumfusa: cavent sed lege & fœdere pacto,
Ne quisquam voce, aut nutu ludentibus ausit
Prævisos monstrare ictus; quem denique primum
Sors inferre aciem vocet, atque invadere Martem,
Quæsitum; primumque locum certaminis albo
Ductori tulit, ut, quem vellet, primus in hostem
Mitteret: id sanè magni referre putabant.
Tum tacitus secum versat quem ducere contra
Conveniat, peditemque jubet procedere campum
In medium, qui reginam dirimebat ab hoste.

Ille

Ille gradus duplices ſuperat: cui tum arbiter ater
Ipſe etiam adverſam recto de gente nigranti
Tramite agit peditem, atque jubet ſubſiſtere contra
Advenientem hoſtem, paribuſque occurrere in armis.
Stant ergo adverſis inter ſe frontibus ambo
In mediis campi ſpatiis, ac mutua tentant
Vulnera nequicquam: neque enim vis ulla nocendi eſt
Armigeris, tractu dum miſcent prælia eodem.
Subſidio ſocii dextrâ, lævâque frequentes
Hinc atque hinc ſubeunt, latè & loca milite complent;
Alternantque vices: nec dum tamen horrida miſcent
Prælia, ſed placidus mediis Mars ludit in armis,
Excurſuſque breves tentant, tutique tenent ſe.
Jamque pedes nigri rectoris, qui prior hoſtem
Contra iit, obliquum lævâ clàm ſtrinxerat enſem,
Atque album è mediis peditem citas abſtulit armis,
Illiuſque locum arripuit præſtantibus auſis:
Ah! miſer inſtantem lateri non viderat hoſtem:
Ipſe etiam cadit, & pugnas in morte relinquit.
Tum cautus fuſcæ regnator gentis ab aulâ
Subduxit ſeſe mediâ, penituſque repoſtis
Caſtrorum latebris, extremâ in fauce, recondit,
Et peditum cuneis ſtipantibus abditus hæſit.
Nec mora, ſurgit eques bellator lævus utrinque,
Et mediis hinc inde inſultant cœtibus ambo,
Alternique ruunt, & ſpargunt fata per hoſtes.
Sternuntur pedites paſſim miſeranda juventus,
Quod nequeant revocare gradum, ſonat ungula campo
In medio, & totis miſcentur funera caſtris.
Dum verò peditum intentus Latonius heros
Cædibus inſtat atrox, equitemque per agmina verſat
Vaſtatorem aleæ piceæ, longè Arcada major
Ardor agit tacitis jam dudùm invadere furtis
Magnum aliquid, peditumque ultra ſæpe obvia tranſit
Agmina, cornipedem ducens in prælia lævum,
Qui regi inſidias tendens hùc vertitur atque hùc,

Per mediosque hostes impunè infrænis oberrat.
Constitit, optatâque diù statione potitus
Lethum intentabat pariter regique, Elephantique,
Alæ qui dextro cornu turritus in auras
Attollens caput ingenti se mole tenebat.
Delius ingemuit clauso succurrere regi
Admonitus: namque indefensum in morte Elephantem
Linquere se videt, atque ambos non posse periclo
Eripere, & fatis urgeri cernit iniquis.
Cura prior sed enim est trepidum defendere regem,
Quem rapit in dextrum latus: at niger emicat ense
Stricto eques, & magnis Elephantem intercipit ausis;
Damnum ingens: neque enim est sævæ post virginis arma
Bellantum numero ex omni magis utilis alter.
Non tamen impunè evades ait acer Apollo
Et peditum cuneis, densâque indagine cingit.
Ille igitur trepidare metu, certique pericli
Frustrà velle fugam: nam hinc fata minatur Amazon,
Indè obstat conserta phalanx, tandem altiùs acto
Virginis ense cadit, pulchræ solatia mortis.
Æstuat alba cohors latere heu! minus utilis uno,
Et magis atque magis furit acri accensa dolore.
Sicut ubi dextrum taurus certamine cornu
Amisit, dum se adverso fert pectore in hostem,
Sævior in pugnam ruit, armos sanguine & altè
Colla animosa levans: gemitu omnis sylva remugit:
Talis erat facies, cœsi post fata Elephantis,
Candentis turma; hinc furiis majoribus ardet
Phœbus, & Ultrices hortatur in arma cohortes,
In ferrum, & cædes pronus, cupidusque nocendi,
Incautusque ambas perdit sine lege phalanges.
Dumque hostes pariter cernat procumbere victos,
Ipse suos morti indefensos objicit ultrò.
Mercurius melior furto cunctatur, & hærens
Usque alium ex alio spectando prævidet ictum.
Sæpe ille ex longo meditatus fata superbæ

Reginæ

Reginæ peditem perdendum cominus offert,
Dissimulatque dolos, mox pœnitet, & trahit alto
Improbus, errorem fingens, suspiria corde.
Jamque sagittiferi è dextro spicula cornu
Virginis in latus albentis tendebat: id hostis
Haud primùm sensit, peditemque trahebat in atram
Lævâ aciem, rerum ignarus: verùm improba cladem,
Et tantas Erycina Venus miserata ruinas
Incauto juveni furtim tacito innuit ore,
Atque oculis (Phœbo nam fortè adversa sedebat)
Nulla mora, ad nutus Divæ tremefactus Apollo
Constitit, atque oculis latè agmina circumspexit,
Et subito insidias sensit, peditemque retraxit,
Quem contra impulerat dextrâ impiger; atque periclo
Reginam eripuit: tum Maiâ Atlantide cretus
Littoreum caveæ consessum vocibus implet,
Reginam captam ingeminans: fremit undique turba
Cœli colûm studiis variis, seseque tuetur
Phœbus, & his alto fatur de littore verbis;
Quæ porrò invidia est dextram ludicra petenti
Præmia corrigere incautam, in meliusque referre,
Quum nec pacta vetent? Quod si Maiâ sate posthàc
Id sedet omninò prohiberi; lege caveto;
Quique prior fuerit digitis impulsus in hostem,
Sive albus, piceusve fuat, discrimine nullo
Ille eat, & dubii subeat discrimina Martis.
Dixit, & hæc toto placuit sententia circo
Cœlicolis. Venerem obtutu clàm versus acerbo
Juppiter increpuit, nec sensit filius Arcas.
Sed puer ingemuit labefactus corda dolore
Ingenti: vix se tenuit quin ludicra castra
Injectisque acies manibus confunderet ambas.
Tum secum statuit furtis certare dolisque
Omnibus, ac totis fraudes innectere castris.
Jam tum igitur juvenem pharetratum in prælia ducens
Cornipedis simulare gradus jubet; ocyus ille

Emicat,

Emicat, atque albæ reginæ fata minatur.
Non Phœbum latuere doli; subrisit, & ore
Versus ad astantes, quamvis accommoda furtis
Mercurio sit dextra, inquit, fraudique dolisque
Callide Atlantiada invigiles, haud me tamen ultrà
Fallere erit: jamque improbe iniquam corrige dextram.
Spectantûm cunei ingenti risere theatro:
Atque Arcas veluti deceptus imagine falsâ,
Summisit buxum concesso in prælia gressu
Arcum intendentem, vigilat jam cautus Apollo,
Fraudesque insidiasque timens, occultaque furta.
Ille etenim persæpè, manu dum ducit in hostes
Alternam buxum, jus contra, & fœdere pacta
Implicitans celeres digitos duo corpora bello
Objiciat simul, observet nisi providus hostis.
Jamque equitem contra nigrantem candidus arcum
Intendens sese opposuit pharetratus, & arcet
Reginæ jugulo intentum: tum dexter oberrat
Huc atque hûc Elephas, niveisque exultat in armis.
Hæserat in medio, dominæ regique minatus
Albus eques ratus impune, & jam sorte superbus
Nequicquam spoliorum animum pascebat amore.
Non tulit hanc speciem juvenis pharetratus, & arcu
Contendit calamum, seseque immittit in hostem,
Fata licet pedes intentet, moriturus in armis
Insigni pro laude, alvo mediæ hæsit arundo
Stridula, & ima chalybs descendit in ilia adactus.
Volvitur ille excussus humique, & calcibus auras
Verberat; in ventos vita indignata recessit.
Inde sagittiferum sternit pedes: hunc pedes alter
Hostili de plebe necat: pugna aspera surgit.
Turribus occurrunt ingenti mole Elephanti,
Sæva pharetrigeri contendunt spicula nervis,
Quadrupedumque gemit bicolor sub verbere campus.
Incaluere animi parte ex utrâque, & in armis
Concurrunt densis simul omnis copia gentis

Albæque

Albæque piceæque duces, ambæque phalanges,
Confusæque acies magno certamine totis
Densantur campis, virtus, fortunaque in unum
Conveniunt: hi nunc victores agmina versa
Æquore agunt toto, versis referuntur habenis
Nunc iidem, variantque vices, & fluctuat omnis
Area bellorum: vasti velut æquoris undæ
Siquando inter se, recluso carcere, sæva
Bella cient animosi Euri, vertuntque profundum
Ionio in magno, aut undisono Atlanteo,
Alternos volvunt procurva ad littora fluctus.
At medias acies inter crudescit Amazon
Candida, plena animo, multisque in millibus ardet.
Namque Sagittiferum incursans, rediensque Elephantem
Nigrantes sternit: dextrâ lævâque per alas
Fulminat, atque manu spargens hastilia sævit.
Bellanti dant tela locum, retròque residunt
Hinc atque hinc inimicæ acies, per tela, per hostes
Illa ruit pulchram in mortem, simul ultima tentat
Castra fugæ fidens, animosque in bella viriles
Sæva gerit: penetrat cuneos, aperitque viam vi.
Tandem fusca cohors, nigrantisque arbiter alæ
Ipse etiam arma suæ trepidus, viresque animosque
Virginis implorat: nulla est mora, fervida Amazon
Emicat, atque ardens paribus se sistit in armis.
Quem primum hastâ, aut quem postremum bellica virgo
Demetis, aut quot humi candentia corpora fundis?
Semianimes volvuntur equi niveique nigrique,
Et peditum cunei, dilectaque pectora Marti
Aligerâ juvenes ineuntes bella Sagittâ.
Quis cladem fando illius, qui funera pugnæ,
Prostratosque duces speret se æquare canendo?
Sternitur omne solum buxo, atque miserrima cædes
Exoritur, confusa inter sese agmina cædunt,
Implicitæque ruunt albæ nigræque phalanges.
Sternuntur pedites, & corpora quadrupedantûm.

Nam

Nam versæ inter se jactantes mutua tela
Fœmineis ambæ nituntur Amazones armis,
Usque adeò certæ non cedere, donec in auras
Aut hæc, aut illa effundat cum sanguine multo
Sævam animam, Solâ linguentes prælia morte.
Intereà amborum populorum rector uterque
Captivos hostes, & victa cadavera bello
Carcere servabant castris vicina, caventes
Ne capti semel, aut obitâ jam morte jacentes
In vitam revocati iterùm certamina inirent.
At lateri innixus Phœbeo Threïcius Mars
Junctus amicitiâ puero Arcadi, si quid amico
Fata sinant prodesse, animum per cuncta volutat,
Observatque omnes casus, tum corpora bina
Capta, pharetratum juvenem, peditemque nigrantes
Cœtibus è functis jam vitâ, atque æthere cassis
Surripit, & castris rursùm clàm immittit apertis.
Ergò iterùm gemini captivi prælia inibant,
Miscebantque manus animosi, atque arma ferebant.
Haud secus (ut perhibent) cum Colchis nacta cadaver,
Aut Virgo Massyla recens, cantuque triformem
Sœpè ciens Hecaten, ac magni numina Ditis,
Falsam animam insinuat membris aurasque loquaces:
Continuò erigitur corpus, loquiturque videtque,
Et vivos inter fruitur cœlestibus auris.
Non tulit indignum facinus Junonia proles
Mulciber (ille dolum solus deprendit) & ore
Inclamat, Phœbumque monet: Thrax palluit heros
Deprensus: Phœbo exarsit dolor ossibus ingens.
Tum Marti pater omni potens iratus iniqua
Præsidia abduci, atque indebita corpora bello
Protinus è castris jubet, atque retexere falsos
Hinc atque indè ictus, & cuncta in pristina reddit.
Jamque duces furiis ambo majoribus instant,
Reginasque ambas conversa per agmina mittunt.
Cæde madent illæ, toto æquore fata ferentes.

Confidunt

Considunt tandem obversæ, regesque tuentur
Quæque suum: ecce autem bellatrix agminis albi
A tergo ferro invasit, stravitque nigrantem
Ignaram: verùm ipsa etiam cadit icta sagittâ
Ah! misera, & spoliis haud longùm exultat opimis.
Convertêre oculos ambæ hinc atque indè cohortes,
Atque acres lachrymis, & fœmineo ululatu
Ambas incubuisse putes, dum funera ducunt.
Tum reges mœstos ipsa ad prætoria densi
Agglomerant sese circùm: timor omnibus idem
Incumbit; par tempestas, par hausit utrosque
Diluvium populos, & sunt sua funera cuique.
Haud prorsus tamen ambobus defecerat omne
Robur; opes restant, & adhuc intacta juventus,
Tres pedites tibi, Phœbe, Sagittifer alter, & ingens
Bellua turrito dorso; totidemque tibi Arcas
Excepto Elephante, altâ qui nuper in aulâ
Pace fruens cecidit positis inglorius armis,
Eminùs aligerâ percussus arundine pectus.
Sed dexter tibi restat eques imperditus; hausit
Cætera bellantûm Mars impius agmina, bellique
Alea, florentes & desolaverat aulas.
At Cyllenæo juveni spes occidit omnis;
Æstuat amissæ gentis memor, & suspirat
Heroas magnos tot fato corpora functa:
Non tamen excedit pugnâ: fracta agmina bello
Relliquias tenues immitis Apollinis astu
Cautior in pugnam mittit, post funera tanta
Si quà fata sinant gentis sarcire ruinas.
It nigrum campis agmen, stat ubique morari,
Fortunamque omnem tentare, aditusque nocendi.
Exultat contrà non æquo prælia motu
Cynthius invadens: facies indigna cohortûm,
Heu! facies miseranda ducum, raro agmine aperta
Castra patent latè, viduatæ & civibus aulæ.
Mœrebant vacuis thalamis regnator uterque

Jamdudùm

Jamdudùm exosi sine conjuge tædia lecti.
Primus amor maneat quamvis immotus utrisque,
Sors tamen ad nova conjugia, atque novos hymenæos
Flectit iniqua: igitur primum rex agminis albi
Reginæ comites olim, fidasque ministras
Regali invitat thalamo, quæ funera mœstæ
Post fera bellatricis heræ tela irrita bello
Jactabant acies inter, cuneosque nigrantes,
Oppetere amissæ dominæ pro cæde paratæ.
Sed priùs explorare ausus sedet, atque viriles
Cunctarum spectare animos, ut digna cubile
Intret; in hostiles sedes, atque ultima castra
Hortaturque, jubetque supremam apprendere metam.
Nulli fas etenim regis sperare cubile.
(Pacta vetant) nisi quæ per tela invecta, per hostes,
Transactis spatiis cunctis impunè, suprema
Attigerit prius adversi penetralia regis.
Arrexere animos famulæ, pariterque per hostes
Limitibus properant rectis: tamen ocyor anteit
Tertia, quam dextro ducebat semita cornu,
Exultatque agitatque animo connubia regis;
Nam comites spe sublapsâ cessêre volentes.
Illa volat cœptis immanibus, addidit alas
Gloria præpetibus plantis, & plurima merces.
Nulla obstat mora, nec facinus prohibere tyranno
Cura nigro est, novaque ipse etiam connubia tentat;
Et vacuis thalamis alias inducere nuptas.
Ergò iter alternæ accelerant, famulamque sinistram
Quarto limite agit, saltu sed tardior uno
Parrhasius juvenis: jamque imperterrita virgo
Candida, facta potens voti penetraverat omnes
Sedes, atque alacris metâ consederat altâ.
Tum rector jubet afferri sellamque tiaramque,
Extinctæ ornatus, nec non fulgentia sceptra,
Dignaturque toro meritam, optatisque hymenæis.
Gaudet cana cohors, insultatque eminùs atræ.

Haud

Haud lachrymas cohibet Maiâ satus æthera voce
Incessens, pictosque à pectore rupit amictus.
Nigranti famulæ tantùm gradus unus ad ipsam
Restabat metam, ah miseræ, sed limite recto
Turritus fera fata Elephas impunè minatur
Insurgens, si supremam contingere sedem
Audeat, & toto castra obsidet ultima tractu,
Et pavidam observans extremis sedibus arcet.
Intereà nova regali dignata virago
Connubio exultans, toto dat funera campo:
Illam tollit honos novus, & fortuna tumentem;
Fulminis in morem ruit, atque nigrantia sævit
Castra per, & sedes, ac sydera territat armis;
Horrescunt faciem invisam nigra agmina crudæ
Virginis atque imæ exoptant telluris hiatus:
Diffugiunt trepidi vasto irrumpente fragore
Hoste metuque omnes acti glomerantur in unum
Aulai in medio juxta latera ardua regis.
Haud secus alta boves sparsæ per pascua quondam,
Ut sensêre lupum venientem, protinus omnes
Conveniunt trepidæ, & fortem facto agmine taurum
Ductorem armenti implorant, ipsique propinquant
Certatim inter se trudentes cornua rauco
Murmure: mugitu longè nemora alta resultant.
At regina furens trepidos toto agmine victrix
Impingens in terga, ipsique ante omnia regi
Fata parans, pugnas alta ad prætoria miscet;
Nunc ruit huc, nunc huc, tunc &, nisi læva fuisset
Mens illi, poterat candentem invadere sedem
Limite in obliquum quarto, & concludere fauces.
Ultimus ille labor regi, gentique fuisset
Nigranti, & fatis Arcas lugeret iniquis.
Nempe erat hinc lethi facilis via in ilia regis
Nec poterat quisquam se tantæ opponere cladi.
Sensit Atlantiades tacitus, dubioque tremebant
Corda metu: accelerare hostem jubet improbus, ictum
Ne videat verbisque rapit per inania mentem,
Castigatque moras. Adeon' juvat usque morari?

Nec pudor est? quæ tanta animis ignavia? sic nos
Increpitas semper cunctantes impiger ipse?
Scilicet expectas dum nox certamina tollat?
His actus, peditem imprudens dum captat Apollo
Præteriit fortunam; alacer vocem extulit astris
Lætitiâ exultans Cyllenius: inde periclo
Regem ipsum eripiens opponit Amazonis armis
Haud invitum equitem, qui sævos arceat ictus.
Tum secum meditans candenti lethum Elephanti,
Qui metâ arcebat famulam, ne regis iniret
Concessos thalamos, curvato perculit arcu;
Concidit, atque ictu tellurem bellua vasto
Pulsavit moriens, dum regi intentat Apollo
Nequicquam exitium: tum metam impunè ministra
Nigra tenet (nec Phœbus obest) jam regia conjux.
Jamque alacres paribus certamina viribus ambo
Rursum ineunt, nuptasque ferunt in bella secundas.
Tum, quanquam ambiguæ spes sint, incertaque belli
Alea adhuc, tamen, ac si palmæ certus, & omne
Discrimen positus sit supra, & gaudia ficto
Ore puer Maiæ simulat, verbisque superbit
Improbus insultans, astûs genus, & sua creber
Vocibus extollens, albæ premit arma cohortis.
Quem sic deprensâ juvenis Latonius arte
Increpitat; nondum extremam dubio ultima bello
Imposuit fortuna manum, & jam voce superbis:
Proindè mihi insulta, & tumidis reple omnia verbis,
Certa tuum annuerit tibi quum victoria Martem.
Sed jam nulla mora est; tua nunc, nunc irrita facto
Dicta manu: hæc fatus reginam hortatur in hostes.
Continuo exoritur magnum certamen, & ingens
Hinc atque hinc rabies, dum fixum vincere utrisque.
Audentes in tela ruunt; stat multus ubique
Terror, ubique pavor, mortisque simillima imago.
Nituntur cuncti adversi, seseque viro vir
Obtulit: invigilant castris avertere pestem
Quisque suis, hostemque fugant, hostiliaque ipsi
Castra petunt, variantque vices, fortunaque ludit.
Spe

Spe cupidos, & corda moræ impatientia torquet,
Funera spargebat fuscæ regina cohortis
Per medias animosa acies; non æmula contrà
Opposuit sese virgo, sed calle per hostes
Secreto intereà regis tendebat ad alta
Limina: dein subito captis custodibus arcis
Irruit, atque aditus irrumpens obsidet aulam,
Intentatque necem regi. Tum nigra virago
Postquam altis vidit canam in penetralibus hostem,
Cæde madens strages cito linquit, & imperfecta
Funera, & pedem retro exanimata repressit,
Nec timuit mediam se certæ opponere morti,
Et patriæ, & trepido properans succurrere regi.
Hîc aliud majus Phœbo graviusque dolendum
Objicitur: nam cornipedem Cyllenius atrum
Huc illuc agitans campo insultabat aperto.
Ardet equus, saltuque furit, nec destitit ausis,
Donec reginæ pariter regique minatus
Optatam tenuit sedem, exitioque futurus
Aut huic, aut illi nigrantibus obstitit armis.
Ut vidit tristi turbatus pectore Apollo
Ingemuit, largusque genis non defuit humor.
Et jam jam labi, atque retro sublapsa referri
Spes omnis, fluxæ vires, aversa Deûm mens.
Arcas successu exultans, ac munere Divûm
Lætus, ovansque, animum vocemque ad sydera tollit.
Et tandem rediit vigor in præcordia victo.
Protinus inclusam feriens sub Tartara mittit
Reginam, & spoliis potitur non segnis opimis.
Tantum olli bellator equus cadit ilia fossus
Ultoris ferro regis: nondum tamen expes
Phœbus abit, sed pugnat adhuc, atque agminis albi
Relliquiæ pedites duo, & arcu insignis eburno
Martis amor juvenis nequicquam bella lacessunt.
Audentes facit amissæ spes lapsa salutis,
Succurruntque duci labenti in funera: sed non
Talibus auxiliis, nec defensoribus istis
Tempus eget; toto Maiâ satus æquore sævit.

Instat vi multa nigra virgo, septaque regis
Circuit excidium intentans, hac perfurit atque hàc:
Nec requievit enim, donec certamine iniquo
Relliquias gentis candentis, & ultima bello
Auxilia absumpsit: Medio rex æquore inermis
Constitit amissis sociis, velut æthere in alto
Expulit ardentes flammas ubi lutea bigis
Luciferis aurora, tuus pulcherrimus ignis
Lucet adhuc Venus, & cœlo mox ultimus exit.
Nulla salus illi superat, spes nulla salutis,
Non tamen excedit victus, sed claudere sese
Hostilies inter cuneos impune, per enses
Actus avet; donec nusquam spatia ulla supersint
Effugiis: Nam si nemo illi fata minetur,
Nec superet sedes, quam impune capessere possit,
Nil tantorum operum impensis foret omnibus actum:
Sed labor effusus frustrà, viresque fuissent,
Nec titulos quisquam, aut victoris nomen haberet.
Ergò per vacuas sedes, desertaque castra
Nunc hùc, rursum illuc, incertos implicat orbes
Diffugiens; niger insequitur rex æquore toto,
Atque fugæ semper spatiumque abitumque relinquit.
Post ubi supremo tendentem limite gressum
Vidit, reginam sedes servare secundas
Jussit, ab angustis ne se ille abducere posset
Ordinibus, tantumque fugæ misero ultima restat
Linea: tum sese contra niger æmulus infert
Dux gentis propiore gradu, sedes tamen una
Alterum ab alterius contactu summovet usque.
Ut vero contra exultantem victus, & expes
Constitit invitus, fortunam nacta virago
Extremam insiliit sedem, totoque minatur
Limite nec misero restat locus amplius usquàm.
Tandem illum surgens virgo crudelis in ensem
Immolat, & finem imposuit sors aspera pugnæ,
Ingenti superûm plausu, & clamore secundo.
Victor Atlantiades exultat littore toto
Improbus, & victo insultat ridetque dolentem:

Quem

Quem pater omnipotens ad se vocat, & dat habere.
Felicem virgam, quæ puras evocet umbras
Pallente Styge, ut infectum scelus eluit ignis;
Quaque Erebo damnet sontes, & carcere cæco
Detque, adimatque oculis somnos, & funere in ipso
Lumina Lethæo claudat perfusa sopore.
Mox vero gratum ludum mortalibus ipsis
Ostendit Deus, & morem certaminis hujus
Italiæ primùm docuit celebrare colonos.
Namque olim (ut perhibent) dilectam Scacchida, quâ non
Inter Seriadas præstantior altera Nymphas,
Compressit ripâ errantem, & nil tale putantem,
Dum pascit niveos, herbosa ad flumina, olores.
Tum bicolorem illi buxum dedit, atque pudoris
Amissi pretium, vario ordine picturatam
Argentique aurique gravem tabulam addidit; usumque
Edocuit: Nymphæque etiam nunc servat honorem,
Et nomen ludus, celebrat quem maxima Roma,
Extremæque hominum, diversa ad littora, gentes.
Omnia quæ puero quondam mihi ferre solebant
Seriades, patrii canerem dum ad flumina Serii.

HIERONYMI FRACASTORII

Ad Jo. Bapt. Turrium Veronensem.

BAtte, animos quando tristes, curasque levare
Musa potest, ego nunc sortem, casusque supremos
Ipse meos tristi solabor carmine tecum;
Et tecum dulces natos, quos funus acerbum
Abstulit, æternâ & pariter caligine texit,
Conquerar; ut saltem tenebris, & nocte perenni,
Quantum opis est nostræ, miserorum nomina demam.
Quæ potui, dum vita illos auræque fovebant,
Exhibui genitorque, gubernatorque duorum.

Infœlix: primas alter vix fingere voces,
Alter adhuc teneris jam tum decerpere ab annis
Prima rudimenta, atque omen præbere parenti.
Quos ego (sed Zephyri spes portavere paternas)
Censueram, si fata darent, cum posceret ætas
Fortior, ad dulces tecum traducere Musas
Assiduos, citharamque humeris suspendere eburnam.
Inde, ubi jam cœlum, ac solem, fulgentiáque astra,
Terramque, & liquidos ignes, æquorque profundum
Mirari inciperent, latisque animalia campis,
Te monstrante viam, te rerum arcana docente
Mens fuerat dulces sophiæ deducere ad hortos,
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favonî
Semper alit, semper cœlesti nectare pascit.
Hic tremulo, & longâ confecto ætate parenti
Purpureos legerent flores; seniique levamen,
Threïcia canerent cithara, quæ plurima quondam
Audissent te populea meditante sub umbra,
Divino mirantem Athesim dum carmine mulces,
Et rerum canis, & teneri primordia mundi.
Fortunate senex, si gnatorum ore referri
Fata sinant, ut nata Chao antiquissima rerum
Materies, visi correpta cupidine pulchri
Arserit, atque Deum thalamo complexa jugarit
Corpora prima; quibus discordia nata Hymenæis,
Et divisa locis, suprema petiverit ignis
Purior, & nitidis vicinus sederit astris;
Quem juxta per inane amplum se fuderit aër:
Ima autem tellus vasto circum obruta ponto
Constiterit: quam dudum hinc inde agitantibus undis
Substerni latè campi, deformiaque arva
Paulatim apparere suprà, & concrescere montes
Cœperunt, procul & nudas ostendere cautes;
Mox nemora, & virides, undis mirantibus, ornos:
Montanis tum speluncis, & rupibus altis
Exiluere udæ, formoso corpore, Nymphæ,
In viridi flavos siccantes littore crines.
O! fortunatum nimium, si numina tantum

Hæc

Hæc mihi ſervaſſent, ſi non caſura dediſſent.
Verùm aliter Lacheſi viſum eſt; quo tempore primùm
Gnatorum cœpit producere fila duorum.
Quippe auram miſeris, & dulcem noſcere vitam,
Spemque ſui dederat præbere: alia omnia ventis
Tradita nocte atrâ & tenebris involverat Orci.
Non licuit firmos annis, virideſque juventa
Inſpicere, & charæ ad metam deducere vitæ.
Nec potui votis nec ope adjuviſſe paternâ
Clamantes, fruſtraque patris ſuprema petentes
Auxilia, & notâ nequidquam voce vocantes.
Heu mortem inviſam! quis te mihi, Paulle, Deorum
Abripit, & miſerum complexibus abſtrahit iſtis?
Tu prior immiti correptus morte, parentem
Deſeris, & dulces auras, & lumina linquis.
Quòd te ſi tali dederant ſub lege futurum
Fata mihi, non jam fuerat mœroris abundè,
Non gemitus? quid me tantis è patribus unum
Cœlicolæ lachrymiſque novis, & mòrte recenti
Opprimitis, charóque etiam ſpoliatis Iulo?
Heu! miſerande puer, quanto plena omnia luctu
Liquiſti abſcedens? quem non veſana Deorum
Incuſavit inops, cùm te complexa jacentem
Aſpiceret laniata comas, & pectora mater?
Ah! miſera, ah! malè fauſta parens, quid Numina fletu
Sollicitas? jacet ille, velut ſucciſus aratro
Flos tener, & fruſtra non audit tanta gementem
Ah! miſera, ah! quid ſublatum complexa moraris?
Ille tuus non jam eſt. Vos illam in funere matres
Collapſam accipite, exanimemq; reponite tectis.
At vos inſontes animæ, chariſſima nuper
Pignora, quod miſero ſupereſt optare parenti,
Semper avete mei, ut licuit, ſemperque valete.
Seu dulce Elyſium functos, umbræque tenebunt
Sanctorum nemorum, puro ſeu ſydera cœlo;
Ipſe ego vos ſemper lachrymis, vos carmine triſti
Proſequar, & veſtris perſolvam juſta ſepulchris:
Donec me vobis tenuem conjunxerit umbram
Summa dies, gnatis æquat quæ ſola parentes.

Interea curas numeris, Musâque levemus
Batte animos: quando rerum mortalis origo est,
Quando etiam vitæ norunt vasta æquora finem.
Scilicet & quondam veniet labentibus annis
Illa dies, cum jam curvo sub vomere taurus
Insudet, terramque gravis prævertat arator,
Nunc ubi cæruleæ rostris spumantibus undæ
Sulcantur, verruntque citæ freta longa carinæ.
Nec vos, ô liquidi fontes, æterna manebunt
Secula, se tanto quamvis pater efferat amne
Eridanus, tumidusque fluat tot cornibus Ister.
Quin etiam aërii montes, mirabile dictu,
Taygetus, Sypilusque jugo & Cymbotus opaco
Ingentes post æstates, ac sæcula longa,
Senserunt seniumque suum, supremaque fata:
Ex quo materies thalamos, primosque Hymenæos,
Atque elementa novus sensit discordia mundus.

Ver.

JAm veniet ver purpureum, juvenisque revertens
Annus aget Zephyros, & cœlo desuper alto
Deducet pleno genitalia semina cornu;
Unde hominum genus, & pecudum, vitæque natantûm,
Et pictæ volucres, & amantes rorida plantæ
Venerem cæco æterni rapiuntur amore.
Gaudete ô! quicunq; bonum speratis agrestes,
Quorum amor est sobolis, studiumque nepotibus arva
Incolere, & parvas ulmis attollere vites:
Annus, Io, novus annus adest: mutatur & ætas
Et meliora novo nascuntur secula mundo.
Bella Pater procul, & diras Saturnus Erinnês
Arcebit charo è Latio, ac sub tartara mittet.
Tum lethum, & cæcus furor, & vesana cupido
Perpetuis extra terras religata catenis
Persolvent pœnas scelerum: at pax alta per omnem
Italiam magno populos sub Cæsare viset.
Ille autem insignis spoliis, & mille trophæis
Instituet festos, alta ad Capitolia, ludos.
Stabit onusto ingens, Tarpeii ad limina templi.

Quercus honore ſacrâ, & prænuntia temporis aurei.
Tum veſcæ glandes, tum terræ ſponte ferentes
Omnia: comparibus disjunget colla juvencis
Agricola, & rudibus mirabitur hordea ſulcis
Sponte adolere ſuâ, & nullo frumenta colono
Undantem lætis ſegetem flaveſcere campis.
Noctibus in ſylvas & mollia prata ſerenis
Æthereo dulcem commiſtum nectare rorem
Sudabit cœlum; tenerâ qui lectus ab herbâ
Mortales ſaturat menſâ dapibuſque Deorum.
Salve, magne Tibri, & vos natæ Tibride Nymphæ,
Tuque ſenex pater Eridane, & qui flumine Tuſco
Benace in noſtro placidus perlaberis agro;
Tuque Atheſis cunctique amnes ſalvete Latini,
Diique omnes magnæ Heſperiæ, qui ſæcula ſoli
Aurea Saturni primo meminiſtis ab ævo;
Cum ſepes, vel limes adhuc communibus agris
Non foret, aut ulli variarent jugera ſulci;
Sponte ſuâ ſed terra ferax daret omnia, & ipſæ
Præberent dulci victum de robore glandes.

Hieronymi Amalthei Ep. ad Junonem.

MAgna Jovis conjux, ripis ſi forte ſub altis
Seu Naucele tuis, ſive Timave tuis,
Videris errantem niveo candore juvencam,
Parce; ſub hâc tegitur nulla puella bove.

De Acone & Leonilla.

LUmine Acon dextro, capta eſt Leonilla ſiniſtro;
Et potis eſt formâ vincere uterque deos.
Blande puer lumen, quod habes, concede ſorori:
Sic Tu cœcus Amor, ſic erit illa Venus.

De Leonilla, & Lydia.

ME lætis Leonilla oculis, me Lydia torvis
Aſpicit: hæc noctem nuntiat, illa diem.
Has Cytherea meo ſtellas præfecit amori:
Hæc meus eſt Veſper, Lucifer illa meus.

AN-

ANNIBALIS CRUCEII
de Ersilia.

QUærenti Ersiliæ quænam hora salubrior esset
Ad Venerem, medicus sic ait Archigenes:
Manè salubre magis Veneris decerpere fructus
Judice me fuerit; vespere dulce magis.
Hîc illa arridens formoso ait ore: voluptas
Mî curæ fuerit vespere, mane salus.

PETRI BEMBI
Amores ad Melinum.

QUid dominam assiduis vexas, Meline, querelis?
Frangitur injusto læsa timore fides.
Simplicitas magis ipsa juvat, cùm lege soluti,
Jungitur in tacito fœmina virq; toro.
Mitem animum dedit infirmis natura puellis;
Fecit & ad blandas mollia corda preces.
Culpam in amore suæ qui nullam agnoscit amicæ,
Novit quâ melius arte perennet amor.
Mulciber æternos Venerem tenuisset in annos,
Ipsa minus duro si foret illa viro.
Ah! pereat, quicunque suæ peccata puellæ
Objicit; & flentem sustinuisse potest.
Ipse ego si videam, nollem vidisse fateri,
Gaudia ne flendo dissipet illa mea.
Tu quoque quod nolles fieri, desiste vereri;
Non erit: innocuos ipse tuetur amor.

Ad Lygdamum.

HEu! diversa tuis quam sint mea Lygdame fata:
Ut nos non uno versat in orbe Deus.
Tu, quod amas, crebro invisis, longumque tuendo
Ægrum animum, atque avidos pascis amore oculos:
Et lateri admissus jucundos ore susurros,
Pendulus & fragrantem excipis ore animam:
Summa vel auratæ suspendis basia mitræ,
Dum loqueris vacuam blandus ad auriculam:
Lævibus aut raptum digitis, teretive lacerto,
Molle decus, domina non renuente, geris:

Et trahis à prima ſerus convivia nocte,
Dum ſol frenatos ad juga poſcat equos.
At mihi longinquæ genteſque urbeſque petuntur,
Ut toto à domina ſeparer orbe meâ:
Et modo nimboſas mannis tranſmittimus alpes;
Saxaque vix ipſis exuperanda feris:
Nec cæci nemorum tractus, ſuſpectaque luſtra,
Nec tardant noſtras flumina adaucta vias.
Interdum audaci vaſtum trabe currimus æquor,
Veláque noſtra iidem venti animamque ferunt.
Quâ tamen in terra eſt mea lux, convertor ad illam;
Et fruſtra Eurydices nomen in ore meo eſt:
Atque ita conjunctorum animis & amore duorum,
Alteri adeſt ſemper quod cupit, alteri abeſt.

BALTHASSARIS CASTILIONI
Cleopatra.

MArmore quiſquis in hoc ſævis admorſa colubris
Brachia; & æternâ torpentia lumina nocte
Aſpicis; invitam ne crede occumbere læto
Victores vetuere diù me abrumpere vitam;
Regina ut veherer celebri captiva triumpho;
Scilicet & nuribus parêrem ſerva Latinis
Illa ego, progenies tot ducta ab origine regum;
Quam Pharii coluit gens fortunata Canopi;
Deliciis fovitque ſuis Ægyptia tellus;
Atque Oriens omnis Divûm dignatus honore eſt.
Sedulitas, pulchræque necis generoſa Cupido
Vicit vitæ ignominiam, inſidiaſque tyranni.
Libertas nam parta nece eſt, nec vinculi ſenſi,
Umbraque Tartareas deſcendi libera ad undas;
Quod licuiſſe mihi indignatus perfidus hoſtis,
Sævitiæ inſanis ſtimulis exarſit & ira:
Namque triumphali invectus Capitolia curru,
Inſignes inter titulos, genteſque ſubactas
Extinctæ infœlix ſimulacrum duxit; & amens
Spectâclo explevit crudelia lumina inani.
Neu longæva vetuſtas facti famam aboleret,
Aut ſeris mea ſors ignota nepotibus eſſet,

Effigiem excudi ſpiranti è marmore juſſit,
Teſtari & caſus fatum miſerabile noſtri.
Quam deinde, ingenium artificis miratur Iulus
Egregium, celebri viſendam ſede locavit
Signa inter veterum heroum ſaxoque perennes
Suppoſuit lacrymas, ægræ ſolatia mentis:
Optatæ non ut deflerem gaudia mortis;
(Nam mihi nec lacrymas lethali vipera morſu
Excuſſit, nec mors ullum intulit ipſa timorem)
Sed charo ut cineri, & dilecti conjugis umbræ
Æternas lachrymas, æterni pignus amoris
Mœſta darem; inferiaſque inopes, & triſtia dona.
Has etiam tamen infenſi rapuere Quirites.
At tu, Magne Leo, divûm genus, aurea ſub quo
Secula, & antiquæ redierunt laudis honores;
Si te præſidium miſeris mortalibus ipſe
Omnipotens Pater ætherio demiſit Olympo,
Et tua ſi immenſæ virtuti eſt æqua poteſtas,
Munificâque manu diſpenſas dona Deorum,
Annue ſupplicibus votis, nec vana precari
Me ſine, parva peto: lachrymas Pater optime redde,
Redde oro fletum, fletus mihi muneris inſtar,
Improba quando aliud nil jam Fortuna reliquit.
At Niobe auſa Deos ſceleratâ inceſſere linguâ:
Induerit licet in durum præcordia marmor,
Flet tamen; aſſiduuſque liquor de marmore manat.
Vita mihi diſpar, vixi ſine crimine, ſi non
Crimen amare vocas: fletus ſolamen amantum eſt.
Adde, quod afflictis noſtræ jucunda voluptas
Sunt lachrymæ, dulceſque invitant murmure ſomnos;
Et cum exuſta ſiti Icarius canis arva perurit,
Hûc potum veniunt volucres, circumque ſupraque
Frondibus inſultant, tenero tum gramine læta
Terra viret, rutilantque ſuis poma aurea ramis;
Hîc ubi odoratum ſurgens denſâ nemus umbrâ
Heſperidum dites truncos non invidet hortis.

FINIS.